LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF [illegible]

16 S '14

P. J. SMIT,

OBSERVATIONES

AD

DIONYSII HALICARNASSENSIS

ANTIQUITATES ROMANAS.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD FRATRES VAN DER HOEK.
1879.

OBSERVATIONES

AD

DIONYSII HALICARNASSENSIS

ANTIQUITATES ROMANAS.

Ex typographeo De Breuk & Smits.

OBSERVATIONES
AD
DIONYSII HALICARNASSENSIS
ANTIQUITATES ROMANAS.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

A. E. I. MODDERMAN,

JUR. ROM. ATQUE HOD. DOCT. ET IN FACULTATE JURIDICA PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM
HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

DEFENDET

PETRUS JACOBUS SMIT,

LUGDUNO-BATAVUS,

AD DIEM XXX M. JUNII A. MDCCCLXXIX, HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD FRATRES VAN DER HOEK.
1879.

PRAEFATIO.

Titum Livium imperator Caligula (Sueton. Calig. c. 34) ut verbosum et in historia negligentem carpebat: hoc fortasse verum, illud nollem dictum de scriptore gravi et eleganti in scribenda historia quam saepius pingere non describere nobis videtur, apud quem egregiae orationes inveniuntur in quibus indoles et ingenium virorum et temporum rationes vere referuntur. — Dionysii Halicarnassensis Antiquitates Romanas legenti mihi et iterum legenti saepe hujus imperatoris Romani dicti in mentem veniebat, qui in orationibus saepe tam verbosus ut fastidium moveat, caeterum in historia satis est diligens. Quum enim specimen studiorum meorum edere vellem, hunc scriptorem elegi cui operam navarem; quasdam igitur emendationes et observationes publici juris feci ut lex me jubet. Dionysium non integrum ad nos pervenisse lectionum varietas in codd. (in quibus praestat Urbinas) luculenter demonstrat. Sed complures iam viri docti multa quae a librariis turpissime corrupta erant ita emendarunt ut nullum sit dubium quin auctor hoc ipsum scripserit, quod praesertim valet de iis emendationibus quae a vulgata lectione literis parum differunt. Interdum unum vel plura verba excidisse aut emblema ex margine in

—

textum irrepsisse sensus perspicue docet. Difficilius est dijudicatu, si quando auctor sibi obloquitur, utrum memoriae errore hoc factum sit an librariorum vitio; quodsi auctor in eadem re saepius errat nihil mutandum, sed si in satis longo opere semper sibi constat et semel vel bis de recta via declinare videtur librariis hoc imputandum et conjectura vel emendatione utendum esse censeo. Utitur Dionysius κοινῇ lingua, in qua quid non miscetur: imprimis amat verba Ionica et poetica, nonnunquam mihi animadvertisse videor eum etiam Latinorum dictionem adhibuisse.

Adolphi Kiesslingii editio mihi prae manibus fuit, nec ullam aliam de Dionysio commentationem cum observationibus meis conferre mihi licuit, nisi unam disquisitionem viri doct. A. H. Garrer. Ne observationes quidem Crit. et Pal. ad D. H. ant. rom. viri clar. Cobet, inspexi: hoc vero consulto, ut vere confitear ne talis viri opere lecto, annotationes meas, jam ante factas, prorsus indignas putarem quas in lucem ederem. Nisi lex me juberet ut finem imponerem dissertationi meae, libens aliud argumentum elegissem. Jam igitur benevole lector! has qualescunque accipe emendationes et observationes in hunc auctorem.

———

Libro I. cap. 15. Mentio fit de lacu non longe ab urbe Cotylia sita. *ταύτην* (*τὴν λίμνην*) — *περιείρξαντες κύκλῳ σ τ έ μ μ α σ ι τοῦ μηδένα τῷ νάματι πελάζειν ἄβατον φύλαττουσιν.* Corruptum est sine controversia *στέμμασι*; *στέμματα* (infulae) enim non sunt locorum sed hominum. Chryses sacerdos (Iliad. I. 14.) venit ad naves Achivorum,

στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

Virginis Vestae caput *ἀναδεῖται στέμμασιν.* cf. lib. VIII. c. 89. fin. Absurdissimum vero est lacum cingere infulis, *τοῦ μηδένα τῷ νάματι πελάζειν*; nec verbum *περιείργειν* cum *στέμμασι* bene convenit. Requiritur omnino substantivum quod notionem impediendi affert. Reiske recte hoc sensit sed felicem conjecturam non proposuit quum substituendum censeret: *σκάμμασι.* Solet enim *σκάμμα* indicare locum in palaestra ubi Athletae certabant; rarissime vero nec

unquam, quod sciam, apud seriores: *fossam*, quo sensu V. D. hoc vocabulum accepisse videtur. Multo magis mihi placet *σταυρώμασι*, cujus compendium (*στρώμασι*) in *στέμμασι* depravari potuerit; optime autem indigenae dicuntur *septis* cinxisse lacum ne quis ad latices accederet.

Lib. I. c. 24. *ἐγίνοντό τε οὐδενὶ κόσμῳ αἱ ἀπαναστάσεις, ἀλλ' ὡσπερεὶ οἴστρῳ καὶ θεοβλαβείᾳ ἀπελαυνομένων*. Loci sententia postulat ut molestam praepositionem ultimi verbi expungamus; cives enim non furore sunt expulsi, sed furore acti abierunt. Tali in re in usu est vel *ἐλαύνεσθαι* sine praepositione, vel *φέρεσθαι*. Jam Stephanus ad hanc emendationem viam monstravit quam Kiessling sequi debuerat.

Observat noster (Lib. I. c. 27. fin.) Herodotum narrare Tyrrhenum Atyis filium cum suis in Italiam commigrasse et *ἱδρύσασθαι πόλεις τὰς ἔτι κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον οὔσας*. In hisce, ut mihi quidem videtur, prorsus supervacaneum et molestum est pronomen *ἐκεῖνον* post *κατ' αὐτὸν* et quam primum expungendum. Conjicio a manu Dionysii profectum esse *κατ' αὐτὸν ἐκεῖ οὔσας* et adverbium a scriba alias res agente in pronomen mutatum. Obiter attingam Dionysium satis negligenter excerpsisse; quum enim Herodotus

(Lib. I. c. 94.) commemoraret ipsum regem Atyn se addidisse iis qui in sedibus suis manerent et Tyrrhenum filium suum praefecisse illis qui commigrarent, Dionysius male excerpsit faciens eum dicentem alteram quidem populi partem Tyrrheno, alteram vero in Lydia manentem Lydo, alteri regis filio (non ipsi regi) obvenisse.

Lib. I. c. 30. *πόλεις δὲ ἅστινας ᾤκισαν οἱ Τυρρηνοί, καὶ πολιτευμάτων οὕστινας κατεστήσαντο κόσμους, δύναμίν τε ὁπόσην οἱ σύμπαντες καὶ ἔργα εἴ τινα μνήμης ἄξια διεπράξαντο — ἐν ἑτέρῳ δηλωθήσεται λόγῳ.* Jam vir doct. A. H. Garrer *) recte observavit hic deesse verbum cujus objectum est *δύναμιν ὁπόσην* et cum eo ante *καὶ ἔργα* insero verbum ΕΚΤΗϹΑΝΤΟ quod haud ita multum differt a ΟΙϹΥΜΠΑΝΤΕϹ. Nihil tamen est quod *οἱ σύμπαντες* ante *ἐκτήσαντο* expungamus; optime enim nostro loco dicitur: quantam potentiam *universi* (i. e. duodecim civitates Tyrrhenorum) habuerint. Conf. Lib. VI. c. 75. *ἀλλὰ Τυρρηνίαν ἅπασαν εἰς δώδεκα νενεμημένην ἡγεμονίας καὶ πολλῇ μὲν τῇ κατὰ γῆν, πολλῇ δὲ τῇ*

---

*) cf. A. H. Garrer. Observationes ad Dion. Halic. Antiquitates Romanas. Lugd. Bat. 1877.

κατὰ θάλατταν δυναστείᾳ περιουσιάζουσαν, τίνες ἦσαν οἱ — ποιήσαντες αὐτὴν ὑμῖν ὑπήκοον. Conjicio igitur propter similitudinem verborum alterum in describendo excidisse et legendum esse δύναμίν τε ὁπόσην οἱ σύμπαντες ἐκτήσαντο. In iis quae statim sequuntur corrigo εἴ τινα in ἅτινα, quod magis cum totius sensus contextu congruit, nec dubitandum quin populus celeberrimus plurima facinora memoratu digna ediderit.

Lib. I. c. 32. ἐπὶ τοῦ μειρακίου τὸν τόπον ὀνομάσαι. Praepositio ἀπὸ quam tali in re Attici requirerent facile quidem in ἐπὶ abire potuit; tam frequenter tamen apud nostrum (ut apud Herodotum cf. I. 17. II. 57. pass.) ἐπὶ cum verbis nominandi conjunctum invenio ut dubitem omnibus his locis codicum lectionem mutare.

Lib. I. c. 38 τὴν δὲ χώραν ταύτην ὁρῶντας ἔκπλεω πάσης εὐπορίας καὶ χάριτος. Pro ἔκπλεω repono ἔμπλεω ut cap. praec. ἀλλ' — πάσης ἡδονῆς τε καὶ ὠφελείας ἔμπλεως, ubi miror Kiesslingium vulgatam lectionem mutasse substituendo ex cod. Chisiano ἔκπλεως quod vocabulum, ni fallor, certam sedem habet in numeris constituendis, ut Xen. Cyr. VI. c. 17. οἱ Πέρσαι ἔκπλεῳ ἤδη ἦσαν εἰς τοὺς μυρίους.

Lib. I. c. 41. οὔτε γὰρ ὁ χῶρος ἐν τρίβῳ τοῖς εἰς Ἄργος ἐξ Ἰβηρίας ἀ ν α γ κ α ζ ο μ έ ν ο ι ς, cet. Ultimo verbo quod procul dubio sensum nullum affert Kiessling conatus est remedium afferre substituendo ἀνακομιζομένοις, quae tamen conjectura mihi quidem nimis audax videtur; cautius aliquando Pflugius: ἀναγομένοις. Equidem omnino scribendum censeo ἀνασκευαζομένοις quod et magnam similitudinem affert cum verbo a codicibus exhibito et saepius a Dionysio usurpatur. cf. ejusdem libri cap. 48. de Aenea in Idam secedente: Σοφοκλῆς — πεποίηκε τὸν Αἰνείαν ἀνασκευαζόμενον εἰς τὴν Ἴδην.

Lib. I. c. 44. ἣ καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων (ἦν) οἰκουμένη, Νέας Πόλεως καὶ Πομπηίας ἐν μέσῳ κ ε ι μ έ ν η. Kiessling de suo dederat ἦν, qua de conjectura, ut ex annotatione sua apparet, nunc valde dubitat; recte viro docto displicet conjectura sua infelicissima. Multo magis mihi placet emendatio Buecheleri qui pro κειμένη indicativum κεῖται restituit.

Lib. I. c. 50. καὶ ἦν πολλὰ σημεῖα ἐν Δήλῳ τῆς Αἰνείου τε καὶ Τρώων παρουσίας, ἕως ἤνθει τε καὶ ᾠκήθη ἡ νῆσος. Kiessling duce Reiskio ante ἤνθει inseruit ἕως ut lacunam codicum expleret; lubenter fateor graecitatem loci ita emendati nihil desiderare.

Sed nescio an plura exciderint; veri simile enim est auctorem post παρουσίας quaedam σημεῖα enumerasse unde patere posset Trojanos in hac insula fuisse.

Lib. I. c. 66. μάλιστα δὲ τὸν καλούμενον Ἀλβανὸν οἶνον ἡδὺν καὶ καλόν. (cf. Lib. XIV. c. 12. de Albano vino: ἔστι δὲ — μετὰ τὸν Φαληρικὸν ἥδιστος οἴνων μελικράτῳ μάλιστα προσεμφερής.) Vehementer dubito an in καλόν mendum lateat; non bene enim de vino convenit illud *pulchrum* esse, quod epitheton, quantum memini, saltem oratione soluta, nusquam nisi hoc uno loco invenitur. Nihil tamen habeo quod substituam, namque γλυκύν quod maxime mihi arridebat nimis a codicis scriptura differt.

Lib. II. c. 3. sub fin. ἐγὼ δ' ὑμῖν, ἔφη, πρὸς ἣν ἂν καταστήσησθε πολιτείαν εὐτρεπὴς καὶ οὔτε ἄρχειν ἀπαξιῶ οὔτε ἄρχεσθαι ἀναίνομαι. Priori membro deesse mihi videtur verbum quod respondeat sequenti καὶ οὔτε — ἀπαξιῶ; non igitur dubito inserere post εὐτρεπής verbum copul. εἰμι, quo addito nihil amplius desiderabis.

Lib. II. c. 7. in fine μία μὲν αὕτη διαίρεσις ὑπὸ Ῥωμύλου τῶν τε ἀνδρῶν καὶ τῆς χώρας ἡ περιέχουσα τὴν κοινὴν καὶ μεγίστην ἰσότητα, τοιάδε τις ἦν. Offendo in vocabulo περιέχουσα quod in hunc locum non bene convenit; illa enim divisio agrorum non tam con-

tinebat quam *praebebat* communem et maximam aequabilitatem; quodsi bene perspicio liceat mihi pro περιέχουσα reponere παρέχουσα.

Emblema tollendum mihi videtur Lib II c. 18. ubi scriptum est: ἱερὰ μὲν οὖν καὶ τεμένη καὶ βωμοὺς καὶ ξοάνων ἱδρύσεις (μορφάς τε αὐτῶν καὶ σύμβολα καὶ δυνάμεις καὶ δωρεὰς, αἷς τὸ γένος ἡμῶν εὐηργέτησαν), ἑορτάς τε — καὶ θυσίας — κατεστήσατο eqs. Quae uncis inclusi rejicienda mihi videntur. Quid? Nonne absurdissimum est dicere Romulum *instituisse* deorum formas et insignia et potestates et dona quae in humanum genus contulerunt? Deinde quo pertinet illud αὐτῶν? Num ad ἱερὰ κτέ? Haec omnia huc non pertinent et ex alio loco sunt illata; sensus vero optime procedit molesto emblemate sublato.

Lib. II. c. 55. init. οἱ λοχῶντες — προσπεσόντες ἀνθρώποις μεμοχθηκόσιν αὐτοὶ ἀκμῆτες ὄντες οὐ σὺν πολλῷ τρέπουσι χ ρ ό ν ῳ. Saepius quidem apud nostrum occurit σὺν χρόνῳ, nusquam tamen quod sciam addit adjectivum πολύς; vehementer igitur dubito an in χρόνῳ vitium lateat; nec diu cogitandum de vocabulo substituendo, quum parva mutatione locutio oriatur usitata quam loci sententia videtur requirere. Romani nempe quum sint integri hostes jam defessos *non*

multo labore in fugam vertunt; itaque pro suspecto σὺν πολλῷ χρόνῳ reponendum censeo σὺν πολλῷ πόνῳ.

Leviter corrigendum mihi videtur Lib. III. cap. 1. fin. ubi editur: ἔνθα ὅσοι Ῥωμαίων ἦσαν ἀνέστιοι λαχόντες τοῦ χωρίου τὸ ἀρκοῦν κατεσκεύασαν οἰκίας. Suspicor ante Οἰκίας excidisse exitum ΤΟ verbi praecedentis; forma enim medii παρεσκευάσαντο requiritur quum *sibi* domos aedificarent.

Lib. III. c. 5. εἰς δὲ τὸν ἐκείνου τόπον ἀποδείκνυται στρατηγὸς αὐτοκράτωρ — Μέττιος Φουφέττιος. Latine recte dicitur *in alicujus locum* sufficere, creare, non ita Graece εἰς τὸν τόπου τινός; pro quo Atticis certe ἀντί τινος in usu est. Paulo infra eodem capite legitur: οὔτε τὰ σφάγια ὁπότε θύοιτο περὶ μάχης καλὰ γινόμενα. Attici constanter dicebant γίγνεται τὰ ἱερά, omisso adjectivo καλὰ, quod hic fortasse a sciolo quodam insertum est.

Lib. III. c. 6. παρεσκευάζοντό τε ὡς οὐκέτι Ῥωμαίων ἀκροώμενοι. Latine: parabant se ad Romanorum imperium in posterum detrectandum. Solet autem in tali in re παρασκευάζεσθαι construi cum ὡς et participio futuri; substituo igitur pro ἀκροώμενοι exigua mutatione ἀκροασόμενοι.

Lib. III. c. 9 *οὐ γὰρ δὴ Σαβίνοις μὲν — καλῶς εἶχεν — μεταθέσθαι τοὺς βίους ὡς ἡμᾶς, ὑμῖν* (Albanis) *δὲ ἄρα τοῖς συγγενεστάτοις — οὐχ ἕξει καλῶς.* Signum interrogandi ponamus post *οὐχ ἕξει καλῶς.* Hortatur enim Rex Romanorum Albanos ut urbibus suis derelictis Romam migrarent.

Solent in codicibus inter sese confundi *πράττειν* et compendium verbi *προστάττειν.* Sic legitur Lib. III. c. 11. *οὐκ ἂν φθάνοιεν — Λαουΐνιᾶται τὰ δίκαια πράττοντες*; ubi cum Reiskio lego *προστάττοντες*, minus recte mihi videtur Kiessling verbum simplex *τάττοντες* edidisse. Idem vitium deprehendes cap. 23. ejusdem libri: *ἄρχειν καὶ τὰ δίκαια πράττειν* lege *προστάττειν.*

Lib. III. c. 32 med. hoc legimus: *γίνεταί τε αὐτῶν ἐκ παρατάξεως ἀγὼν διέμενον γὰρ ἀγχωμάλως ἀγωνιζόμενοι καὶ διελύθησαν ὑπὸ τῆς νυκτὸς ἀμφίλογον καταλιπόντες τὸ νίκημα.* Locum procul dubio corruptum Reiskius sanare conatur inserendo post *ἀγὼν* vocabulum de suo nempe *καρτερὸς*, quo tamen non multum proficimus. Non enim hac de causa acriter pugnatum est *quoniam* aequo marte certabant. Portus laboranti melius subvenit substituens *δὲ* pro *γάρ.* Conabor tamen an melius aliquid proponere possim;

qua in re viam mihi monstrabit locus apud Xenophontem Cyr. IV. 5. 4. Οἱ μὲν δὴ Μῆδοι — ἐλοῦντο καὶ, ἦν γὰρ παρεσκευασμένα, ἱμάτια μεταλαβόντες ἐδείπνουν, quae ratio dicendi Graecis usitatissima est. Conjicio igitur scribam conjunctionem copulativam ante διέμενον omisisse et male transposuisse post ἀγωνιζόμενοι; quodsi conjunctioni suum locum reddideris omnia mihi videntur recte procedere — ἀγὼν καί, διέμενον γὰρ ἀγχωμάλως ἀγωνιζόμενοι, διελύθησαν κτέ. nox dirimebat pugnatores sibi invicem non cedentes.

Jure Kiessling offendit in vocabulo ἔλευσις (Lib. III. cap. 59.) vitio natum ex ἔλασις; qua conjectura licebit expungere ex lexicis verbum inauditum nusquam, quod sciam, nisi hoc uno loco occurrens.

Lib. III. c. 64. init. editur: οὓς ὁ Ταρκύνιος ἐπιτηδείοις χωρίοις διὰ νυκτὸς ἐλόχισε. Ante ἐπιτηδείοις excidisse mihi videtur praep. ἐν. quo omnes Graece loquentes in locis indicandis constanter utuntur; cujus rei unum et alterum exemplum ex Dionysio ipso afferre mihi liceat. Lib. II c. 55. λοχίσαντος ἐν αὐτῷ τὴν δύναμιν. Lib. III. c. 6. med. σκοποί τινες ἐν τοῖς ὄρεσι λοχῶντες, κτέ.

Lib. IV. c. 7. init. ὡμολόγηται γὰρ ὅτι μετὰ τὴν

Ταρκυνίου τελευτὴν παραλαβὼν τὴν βασιλείαν Τύλλιος ἐπ' ἔτη τετταράκοντα καὶ τέτταρα κατέσχεν. Codex Urbinas exhibet inter ὅτι et μετὰ conjunctionem καὶ quam Kiessling recipiendam censet. Equidem non intelligo qui vir doct. eo redire potuerit ut suaderet in textum inserere vocabulum si quid video molestissimum et a contextu sententiae alienissimum. Nihil aliud dicit auctor quam Tullium post Tarquinii mortem regno potitum quadraginta et quatuor annos regnasse; ridiculum vero est dicere Tullium *etiam* post regis mortem ei successisse.

Lib. IV. c. 34 εἰ δὲ κοινὸς ἁπάντων νόμος ἦν, τοὺς διαδεχομένους τήν τε φύσιν καὶ τὰ χρήματα τῶν ἐκλιπόντων βασιλέων, σὺν τούτοις καὶ τὰς βασιλείας αὐτῶν παραλαμβάνειν κτἑ. Prorsus alienum ab hoc loco esse φύσιν jam viri docti viderunt. Kiessling pro eo reponit οὐσίαν; Portus κτῆσιν, quorum neutrum tamen probo; neque enim Portus neque Kiessling ullum sequenti χρήματα locum relinquunt; namque χρήματα significat pecuniam, οὐσία vero et κτῆσις in universum omnem possessionem sive sit pecunia numerata sive aedificia sive horti. Hoc loco, mea sententia, requiritur vocabulum quod ut nos dicimus *res immobiles* exprimit; quum tamen tale verbum meam

memoriam fugerit, cogor vocabulum depravatum acutiori ingenio emendandum relinquere.

Lib. IV. c. 59 *τὴν δὲ τῶν νχῶν κατασκευὴν οὐκ ἔφθη τελέσαι.* Etsi apud veteres Atticos lex certa sit et constans verbum *φθάνειν* cum participio construi, seriores inter quos Dionysium infinitivo saepius uti satis longa series exemplorum firmat, neque nostro loco infinitivus participio cedat necesse est.

Lib. IV. c. 62. narrat auctor rem publicam post reges exactos nobilissimis viris Sibyllinorum oraculorum custodiam commisisse, *οἳ διὰ βίου ταύτην ἔχουσι τὴν ἐπιμέλειαν στρατειῶν ἀφειμένοι καὶ τῶν ἄλλων κατὰ τὴν πόλιν πραγματειῶν.* Imo vero *ἕξουσι*, *qui fungerentur* per totam vitam. Levissimo autem errore ΕΞΟΥϹΙ in ΕΧΟΥϹΙ abire potuisse manifestum est. Satis erit unum exemplum afferre ad demonstrandum Dion. omnium Graecorum consuetudinem non neglexisse; inspice mihi ejusdem libri cap. 74. ubi legimus: *ἱερῶν ἀποδεικνύσθω τις βασιλεύς, ὁ τὴν τιμὴν ταύτην ἕξων διὰ βίου.*

In ea quae statim sequuntur (cap. 74) jure Sintenis et cum eo Kiessling post *πολεμικῆς* inseruit *πολιτικῆς.* Regi enim sacrorum, ut ex capite 62. supra citato luculenter apparet, non solum bellum gerere non

licet sed etiam prorsus a re publica gerenda abstinere debet. Idem vitium Kiessling tollit Lib. V. c. 1. ubi vir doct. et sequitur id quod sana ratio postulat et firmo Urbinatis codicis adminiculo nititur.

Lib. IV c. 84. legimus κἀκεῖνος ἀπολύσας τὴν ἐκκλησίαν ἐκέλευσεν ἅπαντας ἥκειν εἰς τὸ πεδίον, ἔνθα σύνηθες αὐτοῖς ἦν ἀρχαιρεσιάζειν. Qui concionem plebis aut senatum dimittit dicitur διαλύειν τὴν ἐκκλησίαν, τὸν σύλλογον. Vide modo exempla: Lib. VII. c. 14. fin. ἡ μὲν ἐκκλησία διελύετο, cap. 17. ejusdem libri τοῦτον τὸν νόμον ἐπιψηφίσαντες οἱ δήμαρχοι διέλυσαν τὴν ἐκκλησίαν; et de senatu Lib. III. c. 23. διέλυσε τὸν σύλλογον. Lib. IV. c. 37. ταῦτα διαλεχθεὶς — διέλυσε τὸν σύλλογον. Lib. V. 72. fin. διαλυθείσης δὲ τῆς βουλῆς cet. Lib. VI. c. 67. init. ταῦτα εἰπόντες διέλυσαν τὸν σύλλογον. Lib. VI c. 69. μετὰ δὲ ταῦτα τῆς βουλῆς διαλυθείσης cet. Post haec exempla non dubitandum est quin ἀπολύσας mutandum sit in διαλύσας. Non obstare mihi videtur Lib. VI. c. 10. καὶ ὁ Ποστόμιος — ἀπέλυσεν (τὸν δῆμον) ἐπὶ τὰς τάξεις. Lib. VI. c. 43. Οὐαλέριος — ἀπέλυσε τὸν δῆμον ἀπὸ τῆς στρατείας Lib. VII. c. 6. ἀπέλυσε τὴν ἐκκλησίαν (τῶν στρατιωτῶν), ubi sermo est non de plebe neque de senatu, sed de militibus.

Lib. V. c. 2. *ἐκκλησίαν τε αὐτοῖς ἀπέδοσαν ὑπὲρ τῶν μεγίστων καὶ ψῆφον ἐπιφέρειν καὶ τἆλλα πράττειν ὅσα κατὰ τοὺς προτέρους ἐθισμοὺς ἔπραττον.* Pro *ἐκκλησία* Reiskius conjicit *ἐκκλησιάζειν*, quam lectionem praetulerim propter sequentes infinitivos *φέρειν* et *πράττειν.*

Collatinus quum Bruti exemplo non adduceretur ut libertati patriae omnia praeferret pro sororis filiis proditionis convictis causam suscipit; de qua re Lib. V. c. 9 inter alia haec eduntur: *πολλὰς ἐξέτεινεν ὑπὲρ τῶν μειρακίων δεήσεις. τὰ μὲν ἀπολογούμενος ὡς διὰ νεότητος ἄγνοιαν καὶ πονηρὰς φίλων ὁμιλίας εἰς ταύτην ἐμπεσόντων τὴν φρενοβλάβειαν.* — Minime mihi hic placet *ἄγνοιαν.* Bruti filii et hi de quibus hic sermo est non erant pueruli quorum est *ἄγνοια*, sed juvenes quorum est *ἄνοια*, quod omnino hic reponendum, ut optime editur Lib. XI. c. 12. *πραΰνοντι τὰς τῶν ἠδικημένων ὀργὰς οἱ μὲν εἰς ἄνοιαν ἡλικίας καταφεύγοντες, οἱ δὲ εἰς πονηρῶν ἀνθρώπων ὁμιλίας.*

Lib. V. c. 11. Haec leguntur: *Κολλατίνῳ μὲν παραινῶν μεταθέσθαι τε τὴν οἴκησιν ἑτέρωθί (γέ) ποί ποτε πάντα τὰ ἑαυτοῦ λαβόντα.* Pro *ἑτέρωθί γέ ποί* vir Cl. Cobetus (N. L. p. 703.) unice veram lectionem proposuit nempe *ἑτέρωσέ ποι*, *alio*. Sequens *ποτε* libens

expunxerim ut supervacaneum et ex dittographia natum.

Codicum lectio in integrum mihi videtur restituenda eodem cap. sub fin. ubi Kiessling edidit: — *ἐνθυμούμενον ὅτι τοῖς μὲν ἄλλοις ἀδικήμασιν γενομένοις ὀργίζεσθαι πεφύκασιν ἅπαντες, προδοσίᾳ δὲ καὶ ὑποπτευομένῃ σωφρονέστερον ἡ γ ο ύ μ ε ν ο ι — αὐτὴν φυλάξασθαι.* Pro *ἡγούμενοι* exhibent codices *ἡγοῦνται*, quod intactum remanere oportuit; opponuntur enim inter sese: omnes solent ira excandescere (*πεφύκασιν ὀργίζεσθαι*) et magnae esse prudentiae existimant sibi cavere (*σωφρονέστερον ἡγοῦνται φυλάξασθαι*. *ἡγοῦνται* aeque ac *πεφύκασι* pendet a praecedenti *ὅτι*.

Lib. V. c. 13. *καὶ συνεπλήρωσαν ἐξ αὐτῶν τῆς βουλῆς τοὺς τριακοσίους.* Kiessling pro accusativo *βουλήν* de suo genitivum substituit et *τοὺς* pro *εἰς*. Libens concedo exquisitius esse quod vir doct. proponit, quandoquidem jam Tarquinius Superbus (cf. III. c. 67.) numerum Senatorum ad trecentos auxerat. Quae tamen codices exhibent non tam absurda sunt ut pro certo affirmaverim Dion. haec non scribere potuisse; quare cautius mihi videtur hic nihil mutare.

Majora mihi animadvertenda videntur Lib. V. c.

29. C. Mucius spe dejectus regis Porsenae obtruncandi comprehensus perducitur ad ipsum regem; interrogatur quisnam et unde sit; respondet Mucius ut Kiessling edidit: ἐγὼ Ῥωμαῖος μέν εἰμι, καὶ οὐ τῶν ἐπιτυχόντων ἕ ν ε κ α γ έ ν ο υ ς, ἐλευθερῶσαι δὲ τὴν πατρίδα τοῦ πολέμου βουληθεὶς cet. In hisce ἕνεκα γένους quod Codex Urbinas exhibet, a nostro loco alienissimum esse jam vir doct. Garrer in observationibus suis ad Dion. H. Ant. Rom. diserte ostendit; neque quae in editionibus lego ἕνεκά του et ἕνεκ' αἰτίου sensum ullum probabilem afferunt. Sine dubio Garrer in tenebris lucem attulit conjiciendo εἰς τὸ γένος aut τίς τὸ γένος legendum esse, hoc sensu: M. dixisse se esse Romanum neque hominem de plebe aliquem. Conabor tamen ex depravata codicum scriptura melius quid eruere. Non enim verisimile est Mucium, quum libere diceret quisnam et unde esset, nomen suum tacuisse; satis mihi non videtur respondere se civem Romanum esse neque aliquem de plebe et Livius (Lib. II. c. 12.) recte addit: Romanus sum cives, *C. Mucium vocant.* Huc venit verba εἰς τὸ γένος post οὐ τῶν ἐπιτυχόντων non requiri, cf. Lib. V. c. 48, 77; Lib. XII. c. 1; ubi ὁ ἐπιτυχὼν non addito τὸ γένος, adhibetur ad indicandum hominem de plebe.

Dicam quod sentio; plurima animum inclinant in hanc sententiam ut putem in *ἕνεκα γένους* latere *ὄνομα Μούκιος*; quam conjecturam, etsi cuidam fortasse nimis audax videatur, non dubitavi proponere cogitans sanam rationem quae nomen Mucii postulat majoris momenti esse quam fidem scribae negligenter describentis aut inconsiderate corrigentis. Quod porro attinet ad verba *καὶ οὐ τῶν ἐπιτυχόντων* fateor me pro certo affirmare non posse quid sibi velint, nec quicquam desiderarem si noster ea prorsus omisisset. Garrer haec ita interpretatur: non sum homo de plebe; quae interpretatio mihi minus placet. Omnia enim in hoc sunt: sum Romanus i. e. sum civis ex hac libera civitate quam tu in servitutem redigere conaris et veni ut patriae meae salutem afferrem. In juvenem vero praeclari magnitudine animi et singulari patriae amore excitatum ut summum pro ea periculum adiret non quadrat apud regem hostium quem obtruncare voluerat gloriari se esse hominem nobilem. Fortasse verba codicis si mendo carent melius interpretabimur si *οὐ τῶν ἐπιτυχόντων* hoc sensu accipimus: *non sum ex obscura civitate.* Gloriatur se Romanum esse, quod optime convenit tam cum ingenio populi Romani suam patriam semper laudibus ex-

tollentis quam cum eo quod Dionysius ipse enixe demonstrare studet populum Remanum esse civitatem illustrissimam. cf. Lib. V. c. 75. de quo infra. Hoc unum addam: ut mihi quidem videtur Dion. ex aliis fontibus hausit quam Livius; ne verbum quidem de manu quam Mucius foco imposuit, quod auctor ad nauseam usque copiosus, si in fontibus suis reperisset, procul dubio lectoribus suis non tacuisset.

Levi errore scribae periit praepositio Lib. V. c. 67. ubi legimus: (πόλεις) ὅσαι μαλακισθεῖσαι διὰ καιροὺς τινας, καὶ πονηρῶν ἐπιτηδευμάτων ἀρχὰς ἐφεῖσαι παρελθεῖν, οὐκέτι παῦσαι — αὐτὰ δύναμιν ἔσχον. Reponamus παρεισελθεῖν pro παρελθεῖν. Quid enim significat παρελθεῖν? Nisi fallor: *praeterire*, quod huc nihil pertinet; παρεισελθεῖν vero, *irrepere*, loci sententia necessario requirit et a Dionysio scriptum est. Quodsi ΠΑΡΕΛΘΕΙΝ et ΠΑΡΕΙCΕΛΘΕΙΝ inter se conferes intelliges unde factum sit ut praepositio EIC excidere potuerit.

Lib. V. c. 75. auctor dicit se non humilis civitatis instituta et vitae rationes, neque ignobilium hominum consilia aut res gestas esse narraturum; deinde ita pergit: ἀλλ' ὑπὲρ τῆς ἅπασι τὰ καλὰ καὶ δίκαια

ὁριζομένης πόλεως, καὶ περὶ τῶν εἰς τοῦτο καταστησαμένων αὐτὴν τὸ ἀξίωμα ἡγεμόνων ἃ τίς οὐκ ἂν σπουδάσειε μὴ ἀγνοεῖν φιλόσοφος καὶ πολιτικὸς ἀνὴρ σ υ γ γ ρ ά φ ω. Pro ultimo vocabulo συγγράφω, quod in codice Urbinate legitur, Coislinianus et Regius dant ἀποδειχθήσεται, Chisianus δειχθήσεται. Equidem post ἀνήρ sensum claudere malim, rejectis ἀποδειχθήσεται, δειχθήσεται, συγγράφω. Unde enim haec verba sunt nata? Videntur scribae totius sensus contextum nihil curantes post ἀνήρ verbum desiderasse et pro viribus de suo sensum supplevisse. Infelicissimi autem fuerunt quibus ἀποδειχθήσεται et δειχθήσεται placuerint quae, si quid video, praebent sensum tam absurdum vel potius omnia ita corrumpunt ut mirer Sylburgium haec patienter tulisse quum verteret: *quarum rerum cognoscendarum si quis fuerit studiosus is facile sapiens et ad civilia negotia aptus evadet.* Scriba vero Urbinatis sine dubio vocabulum dedit nostro loco multo aptius et integrum servarem nisi post μέλλω διηγεῖσθαι inutile et languidum additamentum mihi quidem videretur. Quid plura? Post ἀνήρ signum interrogandi pono et omnia mihi videntur sana.

Lib. VI. c. 4. Latinorum duces deliberant quonam

modo contra dictatorem (qui castra in colle excelso posuerat) bellum sit gerendum. Alii censent sine mora impetum in eum faciendum, οἱ δὲ τοὺς μὲν ἀποταφρεύσαντας ὀλίγῃ τινὶ κατείργειν φυλακῇ, τὴν δ' ἄλλην δύναμιν ἀναλαβόντας ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἄγειν. Frustra hic quaeris verbum indicans quinam fossa circumducta coercendi sint; participio enim ἀποταφρεύσαντας deest objectum nec facile subaudiendum mihi videtur ex praecedenti τοὺς ἅμα τῷ δικτάτορι καταλαβομένους τὸ ὄρος; conjicio igitur ante ὀλίγῃ inserendum esse pronomen αὐτούς quod propter similitudinem exitus verbi ἀποταφρεύσANTAC excidere potuit.

Lib. VI. c. 6. καὶ πάντα τὰ παρ' ἑαυτῶν εἰς τὸ νικᾶν πρόθυμα παρεχομένοις. Pro ἑαυτῶν, quod Kiessling duce Reiskio conjicit, codices exhibent ἑαυτοὺς et ἑαυτοῖς; postremum maxime mihi placet.

Lib. VI. c. 7. legimus: ὅτι τῆς πόλεως μὲν αὐτοὺς ἀπηλάσατε. Pro ultimo vocabulo codices omnes dant ἀπεσπάσατε, quod integrum servandum conjicio. Si enim recte dicitur ἀποσπᾶν τινα τῆς ἐλπίδος ut Soph. Oed. R. 1432.

πρὸς θεῶν ἐπείπερ ἐλπίδος μ' ἀπέσπασας,

nulla mihi quidem videtur causa esse cur ἀποσπᾶν

τινα τῆς πατρίδος ut pagnans cum graeco sermone temere rejiciamus Nec quicquam mutandum puto in iis quae mox sequuntur: τελευταῖον δὲ τῶν εἰρημένων οὐδενὸς ἑτέρου φήσαιτ' ἂν εἶναι πλεονεκτημάτων ἔλασσον — τὸ μὴ τοιαῦτα ἡμῖν ἀπηντῆσθαι παρὰ τῶν πολεμίων οἷα ὑπελάβομεν. Non enim necessario requiritur ut cum Kiesslingio contra codicum fidem παρὰ post ἀπηντῆσθαι expungamus substituto pro eo articulo τά.

Assentior vero Kiesslingio suspicanti mendum latere Lib. VI. c. 10. ubi haec leguntur ὡς δὲ πολὺ τὸ παράλογον ἀμφοτέροις τῆς δόξης· οὐδέτεροι γὰρ ἐλπίσαντες μάχης δεήσειν σφίσιν, cet. Dubius haeret vir doct. num forte pro ὡς δὲ melius sit ἦν δέ. Equidem impf. verbi εἶναι quod carere non possumus posuerim post δόξης, nec expunxerim ὡς quod optime refertur ad sequens οὐκέτι δέ. Hoc enim dicit auctor: *quum autem utrosque longe sua fefellisset opinio non amplius in hostium formidine salutis et victoriae spem positam esse existimantes, strenuos pugnatores se praestiterunt.*

Similiter mendis laborare videntur verba Postumii dictatoris (Lib. VI. c. 9.) quibus animos militum augere conatur. Nonne turpe est, inquit, senes quibus vires ad hostes caedendos non amplius suppetant,

saltem pro patria mori non dubitare, τὸ δὲ ὑμέτερον ἀκμάζον, οἷς ἔξεστιν ἀμφότερα εὐτυχῆσαι μὲν σῶσαι καὶ νικᾶν ἀσφαλῶς, εἰ δὲ καὶ μετὰ τοῦ δρᾶσαί τι γενναῖον καὶ παθεῖν cet. Et ante omnia offendo in εἰ δὲ καὶ, (sin minus) in tali enim oppositione εἰ δὲ μὴ in usu esse notum est, quod et hic reponendum; miror Kiesslingium a Sylburgio admonitus ut constantem Graecorum consuetudinem sequeretur spuriam codicis lectionem praetulisse. Quod in eadem sententia legitur νικᾶν ἀσφαλῶς nusquam, quantum memini, alibi adhuc inveneram neque apud Dion. neque apud ullum auctorem; vehementer dubito an ἀσφαλῶς cum νικᾶν non conveniat, victoriae enim non solent reportari sine periculis. Recte quidem dicitur ζῆν ἀσφαλῶς non tamen, ut opinor, νικᾶν ἀσφαλῶς; sed nihil muto acutiori ingenio relinquens in hisce tenebris claram lucem accendere. Neque mihi placere potest σῶσαι (vitam servare) in forma activa ubi necessario passiva requiritur; substituo igitur cum Buechelero σωθῆναι quod, etsi magis a codicum scriptura differat quam perf. σεσῶσθαι quod Sintenis et Kiessling proponunt, tamen praeferendum censeo propter sequens aor. παθεῖν.

Lib. VI. c. 12. Hoc editur: ἐν τούτῳ τῷ ἀγῶνι ὁ

πρεσβευτὴς Μάρκιος *Οὐαλέριος, ὁ τὸν κατὰ Σαβίνων πρῶτος εἰσαγαγὼν θρίαμβον — δόρατι πληγεὶς πίπτει*. Non recte dicitur, ut mea quidem fert opinio, *εἰσάγειν θρίαμβον*; noster ut Polybius, Plutarchus, alii constanter usurpare solent *κατάγειν θρίαμβον νίκην, σκῦλα* sim. Cujus rei nonnulla exempla ex Dion. ipso proferre mihi liceat. Lib. III. c. 21. fin. legimus: *τοῦτο δὲ — ἄλλοι συχνοὶ* 'Ρωμαίων *μνημονεύονται ποιήσαντες ἄνδρες ἐπιφανεῖς — τὸ θριάμβους κατάγειν τέκνων αὐτοῖς ἀπολωλότων ἔναγχος*. Lib. III. c. 62. *ὅταν — νίκην κατάγοντες θριάμβου ἀξιωθῶσιν*. Lib. V. c. 17. *θριάμβου καταγωγῇ*. Lib. VII. c. 72. *ἐφεῖται τοῖς κατάγουσι τὰς νίκας κτλ.* Lib. VIII. c. 69. *ὁ* Κάσσιος *θρίαμβον κατάγειν ἠξίου δεύτερον*. ibid. *οὔτε — σκῦλα ἔμελλε κατάγειν*. Lib. IX. c. 71. *κατήγαγον ἀμφότεροι τοὺς ἐπινικίους θριάμβους*. Lib. X. c. 25. *κατήγαγε λαμπρότατον ἁπάντων ἡγεμόνων θρίαμβον*. Quid plura? Satis, opinor, erit exemplorum ad demonstrandum *κατάγειν* in triumpho ducendo esse verbum usitatum; nec dubito quin rationi sit consentaneum semel aut bis occurrens *εἰσάγειν* quam primum expungere.

Lib. VI. c. 21. *Δίκαιον μὲν ἦν, ἔφη, τὰ ἔσχατα παθεῖν, ἅτε δὴ καὶ αὐτοὶ πράττειν ἐμέλλετε, εἰ κατ-*

ὠρθώσατε ἃς πολλάκις ἐβαδίσατε ἐπιβούλους ὁδούς. Quod codices dant: ἃς πολλάκις ἐμάθετε ἐπ' αὐτοὺς ὁδοὺς omni sensu carere jam Sintenis et Kiessling recte monuerunt, quorum tamen nimis audacem conjecturam ἐβαδίσατε ἐπιβούλους ὁδοὺς probare non possum. Est autem, ut mihi quidem videtur, non difficile reperire quid scribendum sit, neque opus est multa mutare. Verbum enim exstat usitatissimum quod cum ὁδός sexcenties conjungitur (ut ὀμνύναι cum ὅρκος) nempe ἰέναι, cujus aor. ΗΛΘΕΤΕ magis mihi videtur appropinquare ad literarum ductus verbi ΕΜΑΘΕΤΕ quam Kiesslingianum ΕΒΑΔΙCΑΤΕ. Suspicor primam literam Ε verbi codicis ἐμάθετε male natam esse ex ultima litera verbi praecedentis πολλάκιC; restat ΜΑΘΕΤΕ quod non tantum a genuino ΗΛΘΕΤΕ differt ut negligentiae scribae dormitantis imputare non possimus. Injuria mihi videntur Kiessling et Sintenis ἐπ' αὐτοὺς mutare in ἐπιβούλους; nihil enim cum Graecitate pugnat: ἰέναι ὁδὸν ἐπί τινα. Quam conjecturam meam Demosthenis testimonium confirmat pag. 701 ubi eadem fere verba leguntur quae Dion. scripsisse videtur: ἐγὼ δ', εἰ κατώρθωσεν ἐκεῖνος ἣν ἐπ' ἐμ' ἦλθεν ὁδόν. κτέ.

Lib. VI. c. 36. legimus: διῳκίσμεθα γὰρ ὡς ὁρᾶτε

καὶ δύο πόλεις ἔχομεν τὴν μὲν μίαν ὑπὸ πενίας τε καὶ ἀνάγκης ἀρχομένην, τὴν δ' ὑπὸ κόρου καὶ ὕβρεως. Offendo in vocabulo ἀρχομένην quod cum ὑπὸ πενίας τε καὶ ἀνάγκης cet. conjungi non solet. Sed nihil habeo quod substituam. Maxime mihi arridebat ἐχομένην, quod saepius cum ὑπ' ἀνάγκης, ὑπ' ἀπορίας similibusque conjunctum invenitur, sed rejiciendum puto propter jam semel occurrens ἔχομεν; non enim simile veri est auctorem edidisse: ἔχομεν πόλιν ἐχομένην ὑπὸ πενίας. Num forte legi potest ἀγομένην aut φερομένην?

Valde inquinata esse quae leguntur Lib. VI. c. 41. init. pro certo habeo. (Est pars orationis Valerii dictatoris quam habuit ut populum hortaretur alacri animo bellum adversus Aequos et Sabinos et Volscos suscipere) οὐ γὰρ δήπου συνεξαπατᾶν ὑμᾶς ἐπιστάμενον τὴν ἀπάτην — ὑπολαμβάνετε. εἰ γὰρ ταῦτα ὑμῖν εἰσέρχεται περὶ ἐμοῦ, ὡς ἁπάντων ἀνθρώπων κακουργοτάτῳ, ὅ τι βούλεσθε χρώμενοί μοι ..... ταύτης μὲν τῆς ὑποψίας, ἐμοὶ πειθόμενοι, τὰς ψυχὰς ἐλευθερώσατε· — προθύμως οὖν ἀποδύσασθε. Nonnulla post χρώμενοί μοι interciderunt quod jam Reiske et Kiessling recte monuerunt. Qua vero ratione lacuna explenda est? Kiessling duce Reiskio inserendum putat οὐκ ἂν φθάνοιτε

vel tale quid. Non refragor. Sed hac conjectura nondum locus prorsus sanatus mihi quidem videtur. Opponuntur inter sese *ὡς ἁπάντων ἀνθρώπων κακουργοτάτῳ* — *χρώμενοί μοι* et *τῆς ὑποψίας* — *τὰς ψυχὰς ἐλευθερώσατε* cet.; frustra quaeris id quod *χρώμενοί μοι* et *ταύτης μὲν κτἑ.* recte conjungat. Namque absurdissimum est verba Valerii ita accipere quasi significarent: si existimatis me una cum senatu vos decipere velle, tractate me ut hominem omnium mortalium fraudulentissimum arbitratu tuo, *dummodo habita mihi fide istam suspicionem ex animis vestris eximatis.* Omnes has ineptias removebis si *εἰ δὲ μὴ* ante *ταύτης μὲν* excidisse putas.

Post panca haec leguntur: *προθύμως οὖν ἀποδύσασθε, καὶ δείξατε αὐτοῖς ὅτι καὶ στασιάζουσα ἡ Ῥωμαίων δύναμις κρείττων ἑτέρας ἐστὶν ὁμονοούσης.* In hisce *ἀποδύσασθαι*, ut Kiessling in annotatione sua recte observat, nihili esse omnes qui sapiunt consentient; sed neque sine scrupulo ferre possum *ἀποδέξασθε* quod ex codice Urbinate vir doct. pro eo substituendum putat. Credo sententiam requirere verbum significans *arma induere*; *ἀποδέξασθαι* vero est *fidem habere*, *probare;* sic recte dicitur *ἀποδέξασθαι διαβολάς*, *κατηγορίας*, *τὸν λόγον* sim; quod a nostro

loco, si quid video, alienum est. Videtur mihi lectio quam Urbinas dat nata e conjectura scribae qui inter scribendum mendosum ἀποδύσασθαι de suo emendare studens inconsiderate novum mendum in textum intulerit. Quod si verum est locus erit, ut opinor, huic meae conjecturae: redire nempe malim ad vulgatam lectionem ἀποδύσασθαι, nec quidquam mutandum censeo nisi praepositionem ἀπὸ in ἐν; quam exiguam mutationem facere non dubito quum notum sit mirum in modum praepositiones a scribis inter se confundi solere. Legere igitur malim; προθύμως οὖν ἐνδύσασθε, καὶ δείξατε αὐτοῖς cet. quod, nisi fallor, optimum sensum affert: *alacriter accingite vos.* Idem verbum eodem sensu invenis Lib. IX. c. 34. fin. οἱ μὲν ἐν ταῖς κοίταις ἔτι ὄντες κατεσφάγησαν, οἱ δὲ ἀνιστάμενοι ἀρτίως καὶ τὰ ὅπλα ἐνδυόμενοι κτέ. Nostro loco non additur τὰ ὅπλα, quod tamen meae conjecturae non obstare existimo. Quis enim tam hebes est ut non intelligat dictatorem plebem excitantem ut vim hostium fortiter propelleret hoc dicere voluisse *arma* esse induenda.

Nec minus mendosum est quod legimus Lib. VI. c. 45. M. Valerius dictator, rebus bellicis ex animi sententia gestis, ob partam victoriam ducit triumphum et

milites suos dimittit. Plebs vero irata quod senatus non praestaret ea quae dictator pollicitus esset consilia agitare coepit de defectione a patriciis facienda; ἡ δὲ βουλὴ κωλύειν διανοουμένη τοῖς ὑπάτοις ἐπέταξε μήπω λύειν τὰ στρατεύματα, τῶν γὰρ ἱερῶν ταγμάτων ἔτι κύριος ἦν τοῖς στρατιωτικοῖς ὅρκοις κατειργομένων καὶ οὐδεὶς ἀπολείπεσθαι τῶν σημείων ἠξίου· τοσοῦτον ἴσχυσεν ὁ τῶν ὅρκων ἐν ἑκάστῳ φόβος. Jure vir doct. Garrer molestum ἱερῶν quod nihili est rejiciendum putat. Non tamen eum sequi possum locum mendosum ita emendare conantem: τῶν γὰρ δέκα ταγμάτων ἔτι κύριοι ἦσαν. Kiesslingianam contra emendationem non possum non probare: τῶν γὰρ τριῶν ταγμάτων ἑκάτερος ἔτι κύριος ἦν. Pro ἱερῶν posuit τριῶν, nec sane haec verba multum differunt literis; deinde ΕΚΑΤΕΡΟϹ, quod inserendum putat, propter sequens ΕΤΙΚΥΡΙΟϹ a scriba negligenti facile omitti potuit. Conscriptae nempe erant, ut Dionysius ipse nos docet, (cap. 42) decem legiones, quarum uterque consulum ternas acceperat, quatuor reliquas ipse dictator ducebat. Sex legiones igitur in verba consulum juraverant, quatuor contra in verba dictatoris. Quum autem senatus consulibus mandaret ut nondum exercitus dimitterent de sex tantum legionibus

consulum sermo potest esse, non vero de quatuor dictatoris quibus nihil rei cum consulibus fuerat. Habemus praeterea luculentum testimonium hoc tempore *sex* non *decem* legiones in armis fuisse, dictator enim suas legiones jam dimiserat invito senatu. Vide quod Dionysius ipse de hac re testatur cap. 43: Valerius *κατὰ νοῦν χωρήσαντος αὐτῷ τοῦ πολέμου, τὸν εἰωθότα θρίαμβον ἀπὸ τῆς νίκης καταγαγὼν ἀπέλυσε τὸν δῆμον ἀπὸ τῆς στρατείας, οὔπω τῆς βουλῆς καιρὸν εἶναι νομιζούσης*. Satisne manifestum est mandata senatus ad Valerii exercitus pertinere non potuisse? Vide etiam quod Valerius dicit cap. 44: Ego sum vos milites *ἐναντιουμένων τῶν βουλευτῶν ἀφεικὼς δέον ὑπὸ ταῖς ἀγραυλίαις καὶ πλάναις ἐν τῇ πολεμίᾳ κατέχειν ὑμᾶς*. Quid hoc *ἀφεικὼς* aliud significat nisi illas quatuor dictatoris legiones sacramento solutas esse? Nihil obstat, ut mea quidem fert opinio, quod Livius dicit Lib. II. 32: Timor inde patres incessit ne si dimissus exercitus foret, rursus coetus occulti coujurationesque fierent. Itaque, quamquam per dictatorem delectus habitus esset, tamen, quoniam in consulum verba jurassent, sacramento teneri militem rati, cet. Nihil enim est quod hoc de sex legionibus consulum non interpretemur. Quamvis sex

legiones a dictatore conscriptae essent tamen sacramento tenebantur donec consules eas dimitterent, quoniam in eorum verba juraverant. Praeterea Livium nihil moror. Saepius Dionysius et Livius inter se differunt. Noster scribit dictatorem suas legiones dimisisse, nec ullum ex Dionysio exemplum novi milites jam dimissos adhuc sacramento teneri.

Lib. VI. c. 64. *αἱ μὲν οὖν πολυοχλοῦσαι δυνάμεις, ὅταν λάβωσιν ἡγεμόνας οὐκ εἰδότας ἄρχειν τοσούτῳ μᾶλλον κακοπαθοῦσιν, ὅσῳπερ ἂν μείζονα ἔχωσι πόρον*. Mendum latet in ultimo vocabulo *πόρον*, quod Reiske ita vertere conatur: tanto magis conflictantur quanto major est eorum *numerus*. Sed nemo, quod sciam, unquam *πόρος* et *πόροι* hoc sensu accipit. Est autem vocabulum usitatissimum magnum numerum significans quod optime ad praegressum *πολυοχλοῦσαι δυνάμεις* referas, id est *ὄχλον* quod, nisi fallor, hic substituendum est. Quodsi ex me quaeris unde lectionem vulgatam natam putem respondeo me conjicere post EXOΥCIN sequens OXΛON excidisse et lacunam a librario quodam temere et inconsiderate expletam esse.

Dubito num forte aliquid interciderit ex Lib. VI. c. 77. *οὐκ ἐφ' ἡμᾶς ἠναγκάσθητε καταφυγεῖν οἱ σεμνοὶ καὶ βαρεῖς, πάντα ὑπισχνούμενοι τῆς τότε σωτηρίας;*

καὶ ἵνα μὴ ἐξαπατᾶν ὑμᾶς αὖθις δοκῆτε, cet. Fieri enim potuit ut scriba adverbium *ἕνεκα* propter sequens *καὶ ἵνα* praetermiserit. Sed nihil pro certo affirmo.

Lib. VI. c. 93. exhibent codices: — *περὶ αὐτὸν ὁρῶσι νεκρούς τε κειμένους πολλοὺς καὶ ἡμιθανεῖς.* Pro ultimo vocabulo substituo *ἡμιθνῆτας* Verbum codicis, si recte memini, non nisi hoc unico loco apud Dion. occurrit; *ἡμιθνής* vero ei usitatum esse vel ex hisce exemplis apparebit: Lib. III. c. 20. fin. *καὶ μετὰ τοῦτον ἐπὶ τὸν τελευταῖον ὠσάμενος ἡμιθνῆτα — ἐπικατασφάττει.* Lib. IV. c. 4. *ἐν ᾧ τὸν Ταρκύνιον ἡμιθνῆτα ἔθεσαν.* Lib. VIII. c. 86. *σκυλεύσαντες δὲ τοὺς τῶν πολεμίων νεκροὺς καὶ τοὺς ἡμιθνῆτας.* Lib. VIII. c. 89. *καὶ ἡμιθνῆτες ἔτι πλείους τῶν νεκρῶν. κτέ.*

In eodem capite paulo infra sic scriptum est: *μετὰ τοῦτο — ἐχώρουν — ἐπὶ τοὺς ἔτι διαμένοντας ἐν τάξει, κτείνοντες τοὺς ὑφισταμένους καὶ ὥσπερ ἀνδραπόδοις παραχρώμενοι.* Ultima verba mihi non placent. Si multi hostes uno tempore interficiuntur noster dicit: *προβάτων δίκην* cf. Lib. VII. c. 11. *τοὺς μὲν ἄλλους — προβάτων δίκην κατέσφαξαν.* Ut *mancipia* vero tractantur et caeduntur privati homines pravi et seditiosi et ii quibus potentiores vim afferunt; patroni

abutuntur clientibus suis tanquam mancipiis: Lib. II. c. 9. *καὶ ὁπότε μὴ πράξειάν τι τῶν κελευομένων, πληγὰς ἐντείνοντες καὶ τἄλλα ὥσπερ ἀργυρωνήτοις παραχρώμενοι, κτἑ.* Lib. IX c. 40. eum qui stuprum cum virgine Vestae fecerat *ἐν ἀγορᾷ μάστιξιν αἰκισάμενοι καθάπερ ἀνδράποδον ἀπέκτειναν.* Lib. X. c. 4. *τινας τῶν ἀπόρων καὶ ἀπερριμμένων — παίοντες ὥσπερ ἀνδράποδα ἀνεῖργον ἐκ τῆς ἀγορᾶς.* Sed quid, quaeso, sibi vult milites qui caeduntur vel jam caesi sunt tanquam mancipiis abuti? Exspectares aliquid hujuscemodi: Romanos cadavera caesorum mutilasse; sed probabilis quidem conjectura mihi in mentem non venit.

Lib. VII. c. 6. haec legimus: *καὶ μετὰ τοῦτο καλῶν εἰς τὴν αὑτοῦ σκηνὴν τοὺς πονηροτάτους ἐξ αὐτῶν καὶ κατὰ χεῖρα γενναιοτάτους, κτἑ.* Aristodemus dux Cumanorum, re contra Hetruscos feliciter gesta, domum reversus consilia agitat de reipublicae statu in patria sua per vim mutando et vocat in tentorium suum nonnullos quos sibi socios faceret in hoc facinore perpetrando. Sed quae tandem causa est cur *scelestissimos* (*τοὺς πονηροτάτους*) quosque eligeret, non vero eos quorum audaciam in bello exacto cognovisset? Censeo in *πονηροτάτους* mendum latere et Dionysio suum

τολμηροτάτους reddendum esse; quod vocabulum optime convenit cum iis quae sequuntur: *καὶ κατὰ χεῖρα γενναιοτάτους* i. e. manu fortissimos. Collatis autem inter sese ΠΟΝΗΡΟΤΑΤΟΥϹ et ΤΟΛΜΗΡΟΤΑΤΟΥϹ videbis, opinor, fieri potuisse ut scriba negligens haec vocabula inter se confunderet.

Lib. VII. c. 17. *οὐ μὴν ἅπασί γε εἰσῄει καὶ μάλιστα τοῖς πρεσβυτέροις ὀλιγωρία τοῦ πράγματος, ἀλλὰ προσέχειν, μή τι ἀνήκεστον ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἐξεργάσηται μανία.* Noli putare sensum tam languidum a manu Dionysii proficisci potuisse; non solet noster substantiva et verba tam prave conjungere. Conjicio igitur aut corrigendum esse *προσέχειν* in *προσεῖχον*, aut, quod malim, *ὀλιγωρία* in *ὀλιγωρεῖν* ut cum sequenti *προσέχειν* ad antecedens *εἰσῄει* recte referatur.

Atticis in usu est verbum *ἀνέχεσθαι* cum accusativo substantivi conjungere. v. c. Xen. Anab. I. VIII. 11. *ὁ μέντοι Κῦρος εἶπεν — τὴν κραυγὴν τῶν βαρβάρων ἀνέχεσθαι, ἐψεύσθη τοῦτο.* Dionysius vero genitivo utitur Lib. VII. c. 38. *οὐκ ἠνείχετο τῶν λόγων.* Nihil tamen muto; secutus est noster, ut mihi quidem videtur, exemplum Homeri Odyss. XXII. 423:

— *τὰς μέν τ' ἔργα διδάξαμεν ἐργάζεσθαι,*
εἴριά τε ξαίνειν καὶ δουλοσύνης ἀνέχεσθαι.

Periit verbum Lib. VII. c. 50. ἀλλ' ὡς δεδοικόσι τὴν ἰσχὺν αὐτοῦ καὶ κατεπτηχόσιν ἡμῖν· ἔπειτα ἱερὰν καὶ ἄσυλον ἔφη δεῖν ἀποδειχθῆναι τὴν ἀρχὴν ὅρκοις ἐμπεδωθεῖσαν. Deesse hic verbum unde dativi δεδοικόσι et κατεπτηχόσιν pendeant jam Sylburg observavit qui post ἡμῖν inseruit προσηνέχθη vel ἐχρήσατο. Probabilius vero mihi videtur quod Kiessling suspicatur: ἡμῖν ἔτι μᾶλλον ἐνέκειτο καὶ ἱερὰν cet.

Lib. VIII. c. 55. In codicibus legitur: ταῖς δὲ γυναιξὶν — εἰσῆλθεν — ἀξιοῦν — ἐπιτρέψαι σφίσι τὴν βουλὴν ἐπὶ τύχης γυναικῶν ἱδρύσασθαι ἱερόν. Admonitus a Reiskio et Kiesslingio non dubito otiosum ἐπὶ expungere et pro τύχης substituere Τύχης i. e. Fortunae; quam conjecturam luculenter confirmat Livius lib. II. c. 40: Monumento quoque quod esset, templum Muliebri Fortunae aedificatum dedicatumque est.

Lib. VIII. c. 86. legimus: ἀγαπητὸν δ' ἄν, εἰ ἀπῆλθον (οἱ Ῥωμαῖοι) ἐκ τῆς πολεμίας, κρείττονα τοῦ προδήλου θανάτου τὴν ἄδοξον ἡγησάμενοι φυγήν. Prima vocabula ἀγαπητὸν δ' ἄν, εἰ Sylburgium offenderunt, qui conjicit vel legendum esse ἀγαπητὸν δ' ἂν ἦν, vel ἀγαπητὸν δ' ἦν. Cui tamen conjecturae non faveo; recte enim dicitur ἀγαπητόν, εἰ sine copula. Equidem,

si cui forte lectio vulgata minus placet, legendum suspicor aut *ἀγαπητῶς δ' ἂν ἀπῆλθον* uti cap. 89. ejusdem libri: *τέλος οὐδὲν ἔλαβεν ἀξιόλογον ἡ μάχη, ἀλλ' ἀγαπητῶς — ἀπῆλθον ἐπὶ τοὺς ἑαυτῶν χάρακας.* (quod jam Kiessl. proposuisse animadverto) aut *ἠγάπησαν δ' ἂν εἰ ἀπῆλθον.*

Lib. VIII. 89. indicium ad pontifices delatum est Virginem Vestae nefandum stuprum in sese admisisse *οἱ δὲ ἔκ τε βασάνων καὶ τῶν ἄλλων ἀποδείξεων μαθόντες, ὅτι τὸ μηνυόμενον ἦν ἀ δ ί κ η μ α ἀληθές, αὐτὴν μὲν τῆς κορυφῆς ἀφελόμενοι τὰ στέμματα — ζῶσαν κατώρυξαν.* Credo hic *ἀσέβημα* aptius esse quam *ἀδίκημα.* Qui violat leges divinas *ἀσεβεῖ*, unde *ἀσέβημα.* Virgo autem Vestae vitiata viva sub terra defodiebatur, erat enim sanctissimae Deae sacerdos; campus ubi id fiebat *sceleratus* dictus est; sed fortasse lectio vulgata non scribis sed ipsi auctori imputanda. Idem vocabulum Thucydides adhibet de iis qui Mercurii sacra vultu circumciderant Thuc. VI. 27. ubi legimus: *καὶ προσέτι ἐψηφίσαντο (οἱ Ἀθηναῖοι) εἴ τις ἄλλο τι οἶδεν ἀ σ έ β η μ α γεγενημένον μηνύειν ἀδεῶς τὸν βουλόμενον.*

Quam primum verbum inauditum et odiosum mecum expunge Lib. VIII. c. 90. *Γάϊον Ἰούλιον τὸν ἐπικα-*

λούμενον Ἴουλον ἐκ τῶν φιλοδημοτικῶν, καὶ Κόιντον Φάβιον Καίσωνος υἱὸν τὸ δεύτερον ἐκ τῶν ἀριστοκρατικῶν. Quis enim unquam φιλοδημοτικῶν legere potuit? Nemo opinor. Misere illud φιλο abundat, quoniam simplex δημοτικός plane idem significat atque φιλόδημος. Procul dubio auctor scripsit φιλοδήμων ut Lib. IX. c. 2. δοκῶν δὲ καὶ τὸν πρὸ τοῦ χρόνου (lege χρόνον) εἶναι φιλόδημος, ἔτι μᾶλλον ἐκ ταύτης τῆς στρατηγίας ἐθεράπευσε τὸ πλῆθος. Fieri potuit ut sequens ἀριστοκρατικῶν scribam in errorem induxerit, quo non solum Dionysii textum misere depravavit sed etiam lexica nostra vocabulo vitioso oneravit.

Vocabulum antiquum et poeticum ἀδόκητος quod legitur et aliis locis (cf. Lib. III. c. 64. Lib. VIII. c. 55.) et Lib. IX. c. 5. εἴ τις ἑτέρα δύναμις πολεμίων ἐκ τοῦ ἀδοκήτου φανείη, usitatiori ἀπροσδόκητος cedat non necesse est; Thucydides enim ipse nonnunquam verbo simplici utitur. Praeterea Dionysius, ut fere omnes seriores, amat antiqua et poetica, quod in fine hujusce opusculi nonnullis exemplis paulo diligentius demonstrare conabor.

Lib. IX. c. 9. ἐξ ὧν δὲ παρέστηκεν ἡμῖν ταῦτα ὑποπτεύειν οὐ μάντεις ἐστὶν οὐδὲ στοχασμοί, ἀλλ' ἔργα ἐμφανῆ. Nemo, opinor, admonitus non con-

cedet *μάντεις* mendosum esse. Exigua vero mutatione habebis id quod sensus necessario requirit nempe *μάντειαι*, quod optime respondet sequentibus *στοχασμοί* et *ἔργα ἐμφανῆ*. Absurdum enim est hoc dicere: causam hujus suspicionis non *vates* praebuerunt nec conjecturae, sed manifesta facta. Conf. quae leguntur Lib. IX. c. 31. *ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν αἰσθήσεσι καὶ πάθεσι καταλαμβανόμεθα, ταῦτα δὲ μαντείαις καὶ δόξαις εἰκάζομεν.*

Intercidisse mihi videtur particula Lib. IX. c. 12. ubi legimus: *εἰ μὲν οὖν ἐταμιεύσαντο τὴν παροῦσαν εὐτυχίαν καὶ διὰ φυλακῆς εἶχον τὸν χάρακα, τάς τε ἀποσκευὰς τῶν Ῥωμαίων κατέσχον* cet. In apodosi *ἄν* deesse non potest, quod facile excidere potuit propter similitudinem ultimae syllabae verbi praecedentis *κατέσχ*ON. Non solet in tali re noster a constanti omnium Graecorum consuetudine temere discrepare. cf. Lib. VII. c. 53. med. *εἰ δὲ τἀναντία ἡμᾶς ἐγίγνωσκες ἐπιτηδεύοντες — τί ἂν ἡμῖν τούτου συνεβούλευες ἔργον ὑπομεῖναι δεινότερον;* Lib. VIII. c. 86. *εἰ μὲν οὖν ἐπὶ τῆς τότε νίκης διέμειναν — καλὸν ἂν αὐτοῖς εἰλήφει τέλος ὁ ἀγών, Ῥωμαῖοι γὰρ οὐκ ἂν ὑπέμειναν* cet. Lib. VII. c. 50. fin; Lib. VIII. c. 45. init; Lib. IX. c. 39. med. et alios complures locos.

Emblema tollendum esse censeo Lib. IX. c. 22. Memoratur quam absurdum sit putare, trecentis Fabiis ad Cremeram occisis, unum tantum puerum ex tota gente superfuisse; haud enim veri simile esse omnes illos Fabios fuisse sine liberis et coelibes, minus etiam probabile nulli Fabiorum fuisse fratrem impuberem, nec patres in tanta suae gentis orbitate alios filios procreaturos fuisse. Quid sequitur? *εἰ μὴ ἄρα — πάντα — εἰς ταὐτὸ συνῆλθεν ἐπὶ τῶν ἓξ καὶ τριακοσίων ἀνδρῶν ἐκείνων ταῦτα τὰ ἀδύνατα· μὴ παῖδας αὐτοῖς καταλειφθῆναι*, quod modo dixerat, *μὴ γυναῖκας ἐγκύους*, idem argumentum jam supra memoravit, *μὴ ἀδελφοὺς ἀνήβους, μὴ πατέρας ἐν ἀκμῇ*, quae iisdem fere verbis jam antecedunt. Dionysius quamvis verbosus non in tantum vitium delabi potuit ut eadem iisdem fere verbis mox repeteret; quare auctor sum ut *μὴ παῖδας αὐτοῖς καταλειφθῆναι* usque ad *πατέρας ἐν ἀκμῇ* additamentum putes quod, quum in margine annotatum esset, in textum irrepserit. Molesto emblemate sublato omnia bene procedunt.

Lib. IX. c. 25. *καὶ τὸν (σῖτον) ἐν ταῖς οἰκίαις ἔταξαν εἰς τὸ δημόσιον ἀναφέρειν τοὺς εἰς τὸν ἑαυτῶν βίον πλείονα τοῦ μετρίου παραθεμένους.* Dubius

haereo an pro ultimo vocabulo substituendum sit *ἀποθεμένους*, quod Attici certe tali in re constanter adhibent. Dionysius ipse nos ad emendationem propositam ducere videtur Lib. VII. c. 18. ubi legimus: *ἔνθα ὑπελάμβανόν τινας εὑρήσειν ἀποκειμένας τροφάς*. Cap. 14. ejusdem libri codices iterum *παρα* exhibent: *ἐκείνοις μὲν γὰρ εἶναι καὶ τροφὰς ἐν ἀφανεῖ παρακειμένας καὶ χρήματα*, ubi tamen Kiesssling auctore Sinteni substituendum censet *ἀποκειμένας*; quae conjectura si vera est eadem opera *παραθέσθαι* mutabit in *ἀποθέσθαι*, quum nihil attineat perfectum quidem mutare, aoristum vero intactum relinquere.

Leviter corrigendum puto Lib. IX. c. 29. *τὸν δὲ λιμὸν οὐκ εἰς μακρὰν ἔπαυσα τροφῆς ἀφθόνου πληρώσας τὰς ἀγοράς, καὶ τοῖς μετ' αὐτὸν ὑπάτοις τήν τε χώραν παρέδωκα ὅπλων πολεμίων ἐλευθέραν κτλ.* Offendo in *μετ' αὐτόν*, pro quo cum cod. Chisiano *μετ' ἐμέ* reponendum censeo. Servilius qui priore anno consul fuerat se apud populum defendens in memoriam auditorum revocat se dubiis et turbulentis temporibus rempublicam servasse; obiter mentionem facit de Verginio collega suo, sed hic de sese loquitur. Rationi igitur consentaneum est eum consules posterioris anni *suos* successores appellasse.

Lib. IX. c. 52. legimus: ὡς οὔθ' ἡ βουλὴ — τὰ δημόσια πράγματα cet. Expungo πράγματα quod neque Urbinas agnoscit. In eodem capite: ὅτι [τὸ] μικρὸν εἶναι δοκοῦν ἔτι τῶν δημοσίων τοῖς ἀργοῖς καὶ ἀπόροις μεταδιδόναι, πολλῶν ἔσται καὶ μεγάλων κακῶν αἴτιον. Jure Kiessling auctore Reiskio μεταδιδόναι post ἀπόροις inserendum censuit: nec ferendum articulum ante μικρόν; nihil tamen est, ut mihi quidem videtur, quod vulgatum articulum ante τῶν δημοσίων expungamus. Infinitivus μεταδιδόναι est pro substantivo μετάδοσις et habere debet articulum. Post pauca: τὸ γὰρ ἔθος τὸ συνεισπορευόμενον ἅμα τούτῳ καὶ διαμένον ἐν τῇ πόλει καὶ μέχρι παντὸς ὀλέθριον ἔσται καὶ δεινόν. Miror viros doctos non offendisse in conjunctione καὶ ante μέχρι παντός, quo non solum sine ullo damno carere possumus, sed etiam totum sensum turbat. Aut igitur participium διαμένον mutandum in διαμενεῖ ut referatur ad sequens ἔσται aut, quod magis mihi placet, molestum καὶ ante μέχρι παντός quam primum est expungendum.

Grave vitium latet Lib. IX. c. 58. Volsci et eorum socii proelio a Romanis victi omnes simul fuga castra repetere coeperunt. Auctor ita pergit: οὐ μέντοι δίωξίς γε αὐτῶν ἐπὶ πολὺ ἐγένετο, ἀλλ' εὐθὺς οἱ Ῥωμαῖοι

ἀπετράποντο, ὑπὸ κόπου τὰ σώματα παρειμένοι καὶ οὐδὲ τὰ ὅπλα ἔτι ὅμοια ἔχοντες. Illud *ὅμοια* mendosum esse pro certo habeo et miror Kiesslingium vocabulum tam ineptum et languidum ferre potuisse. Quis enim mortalium explicare poterit illud : quum corpora prae labore languida essent, nec amplius *arma paria* haberent? Ingenue fateor me non intelligere. Jure Garrer loco laboranti medicamen afferre conatus est; sed *βεβαίως* quod substituit nimis a codicibus mihi videtur differre. Ut fieri solet, facilius est mendum deprehendere quam probabili conjectura locum corruptum sanare. Aliquamdiu putavi auctorem hoc dixisse: arma Romanorum fuisse fracta et obtusa aut aliquid hujuscemodi; sed nullum vocabulum hoc significans mihi in mentem venit inter quod et literas codicis quaedam similitudo esset. Num forte pro ΟΜΟΙΑ scribendum ΟΙΠΟΛΛΟΙ? cf. Lib. X. c. 46. *ἐρρίπτουν ἔξω τοῦ χάρακος ἑαυτοὺς οὐδὲ τὰ ὅπλα οἱ πολλοὶ φυλάξαντες*. Non enim prorsus incredibile est indoctum et negligentem scribam primas literas ΟΙΠ propter antecedens ΕΤΙ omisisse et sequentes ΟΛΛΟΙ levi errore in ΟΜΟΙ mutasse, quum autem semel veram scripturam inquinavisset, deinde A de suo temere addidisse ut finem vocabuli vitio nati prae-

cedenti ὅπλα accommodaret. Sed huic conjecturae tamen ipse non prorsus assentior.

In eodem capite haec a librariis corrupta leguntur: οὐ γὰρ εἴχσαν αὐτοὺς οἱ διώκοντες, ἀλλ' ἐκ ποδὸς ἠκολούθησαν καὶ οὐ πρότερον ἀπετράποντο, ἢ τὴν παρεμβολὴν αὐτῶν ἑλεῖν κατὰ κράτος. Non intelligo quid sit οὐκ εἴασχν αὐτοὺς — διώκοντες. Sylburg videtur sibi intelligere ita vertens: neque Romani eos persequi *desierunt*; sed hoc est de suo fingere non vertere, οὐκ ἐᾶν, nisi fallor, significat *vetare*, *impedire* (ut Lib. VIII. c. 89. καὶ οὐκ ἐώντων ὑπομένειν τὰς προσβολὰς cet.), quod a nostro loco alienissimum est. Non tamen diu de vera emendatione eligenda dubitandum, quum ipsa sententiae ratio (quam Sylburg recte perspexit) nos quasi manu ducat ad eam lectionem quae necessario requiritur. Si parva exigua mutatione οὐκ εἴασαν mutaveris in οὐκ ἀνίεσαν habebis quod procul dubio substituendum est. Ipse auctor in eadem re eodem vocabulo utitur et aliis locis et Lib. X. c. ubi legimus: οὐ γὰρ ἀνίεσαν οἱ Ῥωμαῖοι μέχρι νυκτὸς διώκοντές τε καὶ κτείνοντες (τοὺς) ἁλισκομένους cf. etiam Lib. IV. c. 9. καὶ οὐδένα χρόνον ἀνήσω τῆς ἁπάντων προνοούμενος ἰσηγορίας.

Lib. X. c. 1. οἱ δὲ πολλοὶ ἐμπορευόμενοί τε καὶ

γεωργοῦντες διὰ πολλῶν ἡμερῶν εἰς ἄστυ καταβαίνοντες κτέ. Male Kiessling post *γεωργοῦντες* inseruit *καί*, quod sensum turbat. Opponuntur inter sese patricii qui in urbe versabantur et reliquum vulgus quod non nisi per intervalla in urbem veniebat; causa autem cur vulgus stabilem sedem in urbe non haberet indicatur per *ἐμπορευόμενοί τε καὶ γεωργοῦντες*.

Plura animadvertenda sunt Lib. X. c. 7. M. Volscius, ut ipse narrat, una cum fratre Lucio apud amicum coenaverat; domum revertens dum forum transiit incidit in Caesonem comissabundum cum aliis petulantibus juvenibus. Deinde haec lego: *καὶ οὗτοι τὸ μὲν πρῶτον ἔσκωπτόν τε καὶ ὕβριζον εἰς ἡμᾶς, οἷα μεθύοντες ἂν νέοι καὶ αὐθάδεις, ὅσ' ἂν εἰς ταπεινοὺς καὶ πένητας ὑβρίσαιεν.* Quid sibi velit *ἂν* post *μεθύοντες* non assequor; neque enim ad participium commode referri potest neque ad verbum sequens *ὑβρίσαιεν*; non igitur refragabor si particulam prorsus inutilem expungere malis; sed fortasse hic majus vitium latet. Non integrum ad nos pervenisse totum hunc locum varietas lectionum demonstrat. Urbinas non agnoscit *εἰς* ante *ἡμᾶς*, Chisianus dat: *ὡς ἂν ταπεινοὺς* cet. Urbinas *ὡς ἂν εἰς*; jure, mea sententia, Kiessling *ὅσ' ἂν εἰς*. Neque praeterire lubet quod continuo

sequitur: ὡς δ' ἠγανακτοῦμεν πρὸς αὐτούς, ἐλεύθερον ῥῆμα εἰς τοῦτον εἶπε. δεινὸν δ' ἡγησάμενος οὑτοσὶ Καίσων ἀκοῦσαί τι, ὧν οὐκ ἐβούλετο, προσδραμὼν αὐτῷ παίων καὶ λακτίζων καὶ πᾶσαν ἄλλην ὠμότητα καὶ ὕβριν ἐνδεικνύμενος ἀποκτείνει. In hisce εἰς τοῦτον mendosum est; ipse Caeso adest, requiris igitur εἰς τουτονί. Deinde sequens οὑτοσὶ ante Καίσων propter jam antecedens τουτονί sine ullo damno carere possumus. Reiske pro lectione vulgata εἷς τούτων, quod nullum sensum habet, hoc legit: εἰς τούτων ἕνα, qua tamen conjectura non multum proficimus. Quis enim est ille qui liberiore verbo petitur? Perspicuum est, opinor, indefinitum ἕνα ad Caesonem ipsum vix referri posse. Neque Lapi lectione εἷς ἡμῶν Lucius satis perspicue significatur. Post εἶπε Gelenius legit ὁ ἀδελφός, quam conjecturam libens probarem nisi praestaret, ut mihi quidem videtur nomen ipsum fratris ante ἐλεύθερον inserere. ΛΕΥΚΙΟC nempe excidere potuit propter similitudinem verbi praecedentis ΑΥΤΟΥC.

Excidisse mihi videtur adverbium. Lib. X. c. 13. ταῦτ' ἐστίν, ὦ βουλή, μηνύματα — καθ' ὑμῶν δόλου καὶ πονηρᾶς γνώμης, ᾗ κέχρηνται κρύψαντες οὗτοι, τὰ γὰρ πράγματα αὐτὰ βοᾷ. Illud γὰρ demonstrat aliquid

desiderari ante *κρύψαντες*. Quae enim res ipsa satis loquitur ea, opinor, nullis artibus celari potest. Claudius igitur non hoc dicit: Verginium et suos dolum quem struxissent *texisse* sed quod tegere conati essent id rem ipsam *in lucem protulisse;* quare cum Reiskio conjicio post *κέχρηνται* inserendum esse *μάτην*, vel *κακῶς*, vel tale quid.

Vitiosa sunt quae leguntur Lib. X. c. 37. *οὗτος μέντοι Σίκκιος — ὁ μηδένα κίνδυνον ὀκνήσας πώποτε, μηδ' ἀπειπάμενος, ἀλλὰ ἦν ἐν παρατάξεσι* cet. Optime Kiessling animadvertit *ἦν* ante *ἐν* ferendum non esse, quum totus contextus participium efflagitet non verbum finitum. Deinde post *ἀλλά* lacunam significavit quam sic supplere conatur: *ἀλλὰ πάντας ὑποστάς*, quod a nostro loco non alienum est. Quum tamen post *ἀπειπάμενος* facilius potuerit excidere *ἀράμενος* quam *ὑποστάς* suspicor lacunam sic potius explendam esse: *ἀλλὰ πάντας ἀράμενος*. Conf. cap. praecedens *ἐγὼ τὸν ὑπὲρ ἁπάντων κίνδυνον ἀράμενος*. Quodsi porro cum Kiessl. pro *ἦν ἐν παρατάξεσι* substitueris *καὶ ἐν παρατάξεσι*, habebis si minus verba auctoris at certe quae sine offensione legi possunt.

Lib. X. c. 39. Siccius Dentatus in fine orationis suae plebem adhortatur ne diutius contumelias patriciorum

ferat sed quaerat quomodo poenas de illis sumeret, si minus alia ratione at suffragiis; quod Dionysius his verbis expressisse narratur: *καὶ ὑμεῖς ταῦτα πάσχοντες ἀνέχεσθε καὶ οὐ ζητεῖτε, ὅπως παρ' αὐτῶν λήψεσθε δίκας, ταῖς γοῦν ψήφοις, ἐν αἷς μόναις ἔξεστιν ὑμῖν ἀποδείξασθαι τὴν ἐλευθερίαν.* In tali sententia cum *γέ* et *γοῦν* fere semper conjungitur *κἂν εἰ μή*, *κἂν εἰ μηδὲν ἄλλο* sim. conf. c. 51. fin. hujus libri: *οἳ κἂν εἰ μηθὲν ἄλλο τήν γέ τοι δόξαν τῆς ἀξιώσεως ἔχουσιν εὐπρεπῆ.* Lib. VI. c. 62. init. *κἂν εἰ μὴ ἐν ἀρχαῖς, χρόνῳ γοῦν ὕστερον — τὰ ὅπλα λαβὼν ὑμῖν ἐπιθήσεται.* Quibus exemplis fretus suspicor post *δίκας* nonnulla excidisse et sententiam sic fere in integrum restitui posse: — *δίκας, κ ἂ ν ε ἰ μ η δ ε ν ὶ ἄ λ λ ῳ ταῖς γοῦν ψήφοις* cet. Statim sequitur: *ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν, ὦ δημόται, φρόνημα λαβόντες ἐλεύθερον κ α ὶ τὸν γεωμορικὸν νόμον — ἐπικυρώσατε.* Sensus, nisi fallor, requirit ut pro partic. *λαβόντες* substituamus imperativum, alioquin sequens *καὶ* prorsus supervacaneum esset imo odiosum. Quodsi participium retinere malis continuo mecum expungas molestam conjunctionem. Hoc enim Siccius plebem monet: tandem liberos spiritus sumite et legem agrariam sancite, non vero: et

etiam, cet. quasi de aliis legibus jam sermo fuisset. De Siccio Dentato nihil fere apud Livium.

Male disjectum et vitiatum mihi videtur. Lib. X. c. 53. ubi auctor narrat maximam pestilentiam Romam invasisse. Et primum quidem offendo in hisce verbis: *τελευτῶντες δὲ οἱ μὲν ἀπ' ὀλιγωρίας τοῦ κακοῦ* cet. suspicor *ὑπ' ὀλιγωρίας*, ut praecedens *ὑπό τε αἰσχύνης καὶ εὐπορίας τῶν πρὸς τὰς ταφὰς ἐπιτηδείων κτέ.* Post pauca ita editur: *πολλοὺς μὲν ἐν τοῖς ὑπονόμοις τῶν στενωπῶν φέροντες ἐρρίπτουν τῶν ἀπογενομένων*, quae Sylburg ita latine vertit: multa mortuorum corpora *in* subterraneas compitorum cloacas *projiciebant.* Sed *ῥιπτεῖν ἐν* non in usu est; certa lege verba quae motum significant cum praep. *εἰς* construi notissimum; recte igitur Dion. Lib. V. c. 46. *εἰς μέσους τοὺς πολεμίους ῥιπτῶν ἑαυτόν.* Deinde *τῶν ἀπογενομένων* nimis a *πολλούς*, unde genitivum pendet, disjunctum post *μὲν* transponendum censeo aut prorsus expungendum ut scribae additamentum; optime enim antecedens *νεκρούς* subaudiri potest. Propono igitur ita componere et emendare: *πολλοὺς (τῶν ἀπογενομένων) εἰς τοὺς ὑπονόμους — φέροντες ἐρρίπτουν*; cujus conjecturae Portum auctorem habeo. Neque in iis quae sequuntur placere mihi quidem

potest locus quem γ ὰ ρ obtinet; legimus enim: πρὸς τὰς ἀκτὰς καὶ τὰς ἠϊόνας ἐκκυμαινομένων γ ὰ ρ τῶν σωμάτων cet.; pedestri saltem oratione particula γὰρ secundum locum obtinere solet; cum Porto igitur lego: πρὸς γὰρ cet. Nisi forte noster poetas tragicos imitari voluerit, ut Soph. Philoct. 1450:

Καιρὸς καὶ πλοῦς
ὅδ' ἐπείγει γ ὰ ρ κατὰ πρύμνην.

Eodem cap. paulo infra καὶ οὐχ ἥκιστα ὁ γεωργὸς ἐπόνησεν ὄχλος ἀ ν α π ι μ π λ ά μ ε ν ο ς καὶ προβάτων καὶ τῶν ἄλλων τετραπόδων ἅ μ α διαιτωμένων τῆς νόσου. Fateor me hic densis tenebris premi quas ut aliqua saltem ex parte expellam pro ἀναπιμπλάμενος substituo ἀναπιμπλαμένων ut ad sequentes Genitivos referatur. Nec ferendum ἅμα pro quo lego ὁμοῦ. cf. compositum ὁμοδίαιτος. Lib. I. c. 30.

Lib. XI. c. 4. Aequis ad Algidum castra habentibus decemviri anxii sodalitates convocant et quid faciendum sit deliberant. Tandem optimum visum est senatum convocare. ταῦτα βουλευσάμενοι προῆλθον εἰς τὴν ἀγοράν, καὶ παραστησάμενοι τὸν κήρυκα τ ο ὺ ς β ο υ λ ε ύ σ ο ν τ α ς ἐξ ὀνόματος καλεῖν ἐκέλευον. Expungendum censeo participium βουλεύσοντας et sine mora in βουλευτὰς mutandum. Videtur autem futurum verbi

βουλεύειν huc irrepsisse ob praecedentia *ἀγορεύσοντας* et *ἐναντιωσομένους*; sed nihil hisce cum illo commune est. Optime quidem dicit auctor decemviros ex numero amicorum suorum constituisse quinam in senatu gratas sibi sententias proponerent et quinam adversarios oppugnarent, non vero arbitrii est decemvirorum statuere quinam in senatum cogendi sint. Debent enim illos cogere quibus jus est veniendi i. e. senatores, Graece *τοὺς βουλευτάς*. Huic meae conjecturae favere videtur quod statim sequitur: *ὑπήκουε δ' αὐτοῖς τῶν μετρίων οὐδείς*; omnes igitur senatores decemviri cogere conantur non vero nonnullos sibi acceptos. Ipsum *βουλευτὰς* post pauca invenies: *οἱ δέκα δὲ ταῦθ' ὁρῶντες ἐπεχείρησαν μὲν ἐκ τῶν οἰκιῶν τοὺς βουλευτὰς ἄγειν.*

Quod in eodem capite legitur: *παριόντα δ' αὐτὸν ἔτι καταμαθὼν Ἄππιος καὶ καθ' ἑ α υ τ ό ν τι λέξειν ἐλπίσας*, depravatum est propter accus. *ἑαυτόν*. Dicere aliquid contra aliquem Graece dicitur *λέγειν τι κατά τινος*; requiro igitur *καθ' ἑαυτοῦ τι λέξειν* cet.

Lib. XI. c. 5 init. Valerius Potitus ab Appio Claudio prohibitus quominus in senatu verba faceret opem implorat Fabii Vibolani unius decemvirorum in eum senatum oculos vertisse dicens. *ὡς δὲ ταῦτα εἶπεν* (Va-

lerius) ὁ Φάβιος ἐκάθητο ὑπ' αἰσχύνης οὐδὲν ἀποκρινόμενος. Ἄππιος δὲ καὶ οἱ λοιποὶ δέκα πάντες ἀναπηδήσαντες ἐκώλυον αὐτὸν λέγειν. Miror viros doct. sensum tam ineptum patienter ferre potuisse. Fabius ut legimus *prae pudore* nihil respondet. Sed quale tandem flagitium vir integerrimus (cf. Lib. X. c. 58.) commiserat ut hac de causa taceret? Deinde qui fieri potuit ut Appius et ejus collegae ex sedibus suis exsilientes prohiberent quominus is loqueretur cui consilium loquendi non esset? Pro certo habeo Fabium non prae pudore sed vi coactum nihil respondisse et Dionysium pro ὑπ' αἰσχύνης scripsisse ὑπ' ἀνάγκης; si praeterea molestum δὲ expunxeris substituta conjunctione causali γὰρ habebis ea quae sana ratio videtur efflagitare.

Corrupta etiam haec sunt vel nonnulla exciderunt eodem cap. τῶν δ' ἐκ τῆς ἑταιρείας αὐτοὺς λέγειν ὀρθῶς ἡγουμένων. Plurimi indignabantur quod Appius et reliqui decem Valerium prohibuissent loqui, qui vero ex eorum sodalitate erant recte eos *dixisse* (ut editur) existimabant. Sed de oratione habita ab Appio et reliquis decem nullus est sermo; exspectares pro λέγειν potius κωλύειν; sed neque hoc certum et plura excidisse videntur.

Misere sunt corrupta et ex parte prorsus perdita et conclamata quae leguntur in fine ejusdem capitis: *καὶ εἰ τοῦτο μανεὶς ὁ δῆμος ὑπομείνῃ, πάλιν τὴν αὐτὴν κατάστασιν ἔχετε καὶ εἰ κωλύετε λέγειν, ὁπόσα βούλεταί τις ὑπὲρ τῆς πατρίδος, (καὶ εἰ δίκαια ταῦτα δόξωσιν).* Quae uncis inclusi codex Laurent. jure omittit, namque prorsus sunt inepta et ut insanabilia rejicienda. Reliqua sic componere et emendare liceat: *κἂν μανεὶς ὁ δῆμος ὑμᾶς ὑπομείνῃ, πάλιν τὴν αὐτὴν κατάστασιν ἔχετε καὶ κωλύετε* cet. Cujus conjecturae ut rationem reddam primum quidem observo conjunctivum *ὑπομείνῃ* necessario particulam *ἄν* requirere, quod jam Kiessling recte vidit. Deinde *τοῦτο* post *κἄν* mihi quidem non placet, quandoquidem non patet utrum ad *δεκαδαρχίαν ὑμῶν* (vide quae proxime antecedunt) referendum sit an ad sequens *πατρίους ἀρχάς*; *ὑμᾶς* vero quod ante *ὑπομείνῃ* insero omnem ambiguitatem tollit; facile autem ΥΜΑC post ΔΗΜΟC intercidere potuit. Eadem fere sententia legitur Lib. XI. c. 11. *ἐάν τε γὰρ ἀγαπῶσι Ῥωμαῖοι πάντες ὀλιγαρχούμενοι, καὶ μένειν ὑμᾶς ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἐξουσίας ψηφίσωνται, κτέ.* Neque *εἰ* ante *κωλύετε λέγειν* ferendum quae conjunctio etiam Kiesslingio spuria videtur; minime vero viro doct. assentior corrigendum suspi-

canti καὶ εἰ in μὴ δὴ, qua conjectura fumum fugientes, ut dicitur, in flammam incidimus. Quid enim magis hic a sana ratione alienum est quam negatio? Aliquamdiu dubius haesi an forte probabilius esset καὶ δὴ; sed praestat, ut mihi quidem videtur, molestum εἰ expungere, nec quicquam pro eo substituere.

Lib. X. c. 2. ἐξ ἐκείνης τῆς φιλονεικίας ἀνακτήσεται τῇ πόλει συμφορά. Nota confusione literarum ΕΙ et Ι editum est φιλονΕΙκίας pro φιλονΙκίας; idem vitium deprehendi et alibi et Lib. XI. c. 22. λειποστρατίαν lege λιποστρατίαν.

Lib. X. c. 14. πλεύσας δὲ διὰ τοῦ Τεβέρεως ποταμοῦ. Urbinas dat Τεβέριος quod praetulerim. Ipse Kiessling meliorem formulam usurpat Lib. III. c. 25. Τεβέριος τὸ ῥεῦμα. c. 44. c. 55. et alibi.

Lib. X. c. 27. οἱ μὲν ὕπατοι τὴν βουλὴν συνήγαγον ὡς περὶ τῶν ὅλων ἔσχατον τοῦτο βουλευόμενοι Sic Kiessling edidit ex Urbin.; alii contra codices exhibent futurum βουλευσόμενοι quod, mea quidem sententia, reponendum.

Lib. X. c. 37. — καὶ μετὰ πάντων καὶ σὺν ὀλίγοις καὶ μόνος. In hisce μετὰ πάντων non recte mihi videtur convenire cum sequenti σὺν ὀλίγοις; multo magis

mihi placet *μετὰ πολλῶν* quod a manu auctoris profectum esse suspicor.

Lib. X. c. 46. *ἐγὼ δ' ὑμᾶς ἄξω καὶ ἄδηλον τοῖς ἐχθροῖς ὁδόν, καὶ πολλὰς ἐλπίδας ἔχω, κτέ.* Conjunctio *καὶ* procul dubio ex errore librariorum nata quam primum mutanda est in *κατ'* ut paulo infra *κατ' ἄλλας ὁδούς.*

Lib. X. c. 54. *οἱ δ' οὐκ ἔχοντες ὅ τι πράττουσιν ἕτερον, κτέ.* Praes. Indic. *πράττουσι* vitiatum esse manifestum est; solet enim in sententiis quae dubitationem exprimunt cum *οὐκ ἔχω ὅ τι* conjunctis adhiberi aut Conj. aut Fut. Ind. quorum ultimum maxime mihi hic arridet. Substituo igitur parva mutatione ΠΡΑΞΟΥCΙ pro ΠΡΑΤΤΟΥCΙ.

Negatio inserenda est Lib. XI. cap. 8. ubi legimus: *εἰ γὰρ — βούλεταί τις εἰκάζειν, πολὺς ὁ μετὰ τοῦτον ἔσται χρόνος, ἐν ᾧ περὶ οὐδενὸς τῶν κοινῶν συνελευσόμεθα βουλευσόμενοι.* Absurdissimum hoc esse senatum convenire *de nulla re publica deliberaturum* nemo, opinor, non concedet. Procul dubio auctor hoc dicit: magnum intercedet tempus quo *non* conveniemus de *ulla* re deliberaturi, quod constanti Graecorum consuetudine sic dicitur: *ἐν ᾧ οὐ περὶ οὐδενὸς — συνελευσόμεθα βουλευσόμενοι.* Inspice mihi cap. 20.

ejusdem libri ubi Dion. eandem sententiam iisdem fere verbis exprimit; *ἐὰν γὰρ ὑπερβαλώμεθα τοῦτον τὸν καιρόν, οὐκέτι συνάξουσιν ἡμᾶς οἱ δέκα βουλευσομένους ὑπὲρ οὐδενός.*

Misera tautologia tollenda mihi videtur Lib. XI. cap. 9. C. Claudius causas enumerans cur ante omnes sibi de publicis commodis verba sint facienda inter alia haec dixisse fertur: *πρὸς δὲ τούτοις, ὅτι τοιαύτην διαδέδεγμαι προαίρεσιν ἐκ προγόνων — ἣν οὐκ ἂν προδοίην ἑκὼν εἶναι.... δέ μοι ταύτην τοῦ βίου προαίρεσιν, καὶ οὐκ ἂν καταισχύναιμι τὰς ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν ἀρετάς.* Verba post *εἶναι* usque ad *προαίρεσιν* sensum nullum habere viri docti jam diu animadverterunt inter quos, ut ceteros omittam, Reiske post *εἶναι* hiatum significavit quam Kiessling ita supplere conatur: *Φυλάξω δὴ τοιαύτην τοῦ β. π.* Equidem nihil inserendum puto. Quid amplius, quaeso, desiderabis si *δέ μοι-προαίρεσιν* ut interpolata prorsus rejeceris? Luculenter orator dicit quae significare vult neque ulla explicatione sententiae opus est. Vide porro ecquid novi Kiesslingiana conjectura afferat? Nonne *Φυλάξω δὴ τοιαύτην* cet. fere idem est atque id quod continuo praecedit: *ἣν οὐκ ἂν προδοίην-εἶναι*? Neque multum differt a sequentibus *καὶ οὐκ ἂν* —

ἀρετάς. Astricte atque concinne orator duas primas causas exponit, veri simile non est eum in tertia enumeranda nimia verborum copia sententiam languide onerasse.

L. Cornelius acer decemvirorum fautor rogatus sententiam de bello adversus Aequos et Sabinos suscipiendo vehementer invehitur in adversarios suos qui suaserant ne de ulla re quidquam decerneretur donec alii magistratus creati fuissent. Qua in oratione Lib. XI. cap. 16. fin. etiam haec lego quae procul dubio corrupta suut: καὶ οὐδ' αὐτὸ τοῦτο δύνανται συνιδεῖν, ὅτι γνώμας εἰσφέρουσι, μᾶλλον δ' εὐχὰς ἀδυνάτους ἔχουσιν. Conabor autem loco laboranti probabili conjectura subvenire postquam attigero conjecturas jam ante a Reiskio et Kiesslingio allatas. Nempe ἔχουσιν Reiskio non placuit pro quo substituit λέγουσιν, qua mutatione, opinor, parum vel potius nihil proficimus. Kiessling, quod miror, Reiskii sententiam amplexus est et praeterea post γνώμας inseruit πονηράς, quae tamen conjectura Kiesslingio indigna primo quoque tempore est rejicienda ut absurdissima et a tota oratione alienissima. Post οὐδ' αὐτὸ τοῦτο exspectas rem quam quisque facile intelligere potest absurdam vel ridiculam esse; qui enim

persuasum sibi habet sententiam quam dicit *pravam* esse is, opinor, victus est. Orator non tam inepte loqui potuit; nihil aliud dicit quam hoc: adversarios suos ne hoc quidem ipsum videre se ad ea tendere quae assequi non possunt; quam sententiam optime exprimes si levissima mutatione ἀδυνάτου; ἔχουσιν mutaveris in ἀδυνάτως ἐχούσας. Orator post γνώμας εἰσφέρουσιν ipse se corrigit pro γνώμας substituens εὐχάς; utrumque necessario ad ἀδυνάτως ἐχούσας pertinere debet.

Lib. XI. Cap. 25. init. ὃν ἔφην ἀπολελυμένον ἤδη στρατείας διὰ τὸν χρόνον. Ultima vocabula mihi quidem minus placent. Nusquam enim, credo, nisi hic Dionysius vacationem militiae *ob aetatem* ita exprimit: διὰ τὸν χρόνον. Saepius utitur noster pro eo ὥρα e. g. Lib. X. c. 43. οἳ στρατεύεσθαι μὲν οὐκέτι ὥραν εἶχον; aut dicit ὁ χρόνος τῆς ἡλικίας ut Lib. VI. c. 9. οἷς ἀφεῖσθαι στρατείας ὅ τε χρόνος ὁ τῆς ἡλικίας ἀποδέδωκεν. Sed nihil mutare audeo quum pro certo non habeam lectionem codicum scribarum errori imputandam esse.

Lib. XI. cap. 26 et 27. Siccii caedes narratur. Proditores isti milites quibus mandatum erat ut Siccium interficerent eum non posse vinci et interfici

videntes in pugna stataria, cominus pugnare destiterunt et longius progressi eminus eum adorti sunt. c. 26 ἔβαλλον οἱ μὲν σαυνίοις, οἱ δὲ χέρμασιν, οἱ δὲ ξύλοις. Caede perpetrata in castra reversi rumorem spargunt hostes de improviso impetum fecisse et Siccium interfecisse. Milites verò qui in castris erant Siccii mortem aegre ferentes statim subiit suspicio eum non a hostibus sed dolo malo a suis caesum esse, quod nullius hostis occisi cadaver inveniretur. Jure existimabant Siccium non inultum moriturum fuisse *praesertim quum cominus pugnatum esset.* Quid sequitur? (c. 27.) αὐτός τε γὰρ ὁ Σίκκιος πολλὰς εἶχε πληγάς, τὰς μὲν ὑπὸ χερμάδων, τὰς δ' ὑπὸ σαυνίων, τὰς δ' ὑπὸ μαχαιρῶν, καὶ ὁ ὑπασπιστής· οἱ δ' ὑπ' ἐκείνων ἀνῃρημένοι πάντες μ α χ α ι ρ ῶ ν ἢ χ ε ρ μ ά δ ω ν ἢ σ α υ ν ί ω ν, β έ λ ο υ ς δὲ ο ὐ δ ε μ ί α ν. Ultima vocabula πάντες — οὐδεμίαν corrupta esse pro certo habeo. Militibus ipsa mortuorum vulnera non possunt non documento esse cominus esse pugnatum; in *prima* enim pugnae parte, ut ex praecedentibus apparet, Siccius quindecim proditorum interfecerat et duplo majores vulneraverat; sed nullus sermo est eum saxis etiam et jaculis adversarios suos *eminus* petiisse. Omnes igitur mortuos, praeter ipsum Siccium et ejus armigerum

non nisi gladiorum vulnera habebant. Praeterea, ut hoc unum addam, opponuntur inter sese vulnera Siccii et ejus armigeri et vulnera ceterorum; si vero pariter omnes eadem ratione vulnerati sunt nullus oppositioni locus esse potest. Libens igitur amplector Porti conjecturam qui locum depravatum sic emendat et explet: πάντες μαχαιρῶν μέν, χερμάδων δὲ ἢ σαυνίων ἢ βέλους οὐδεμίαν πληγὴν εἶχον.

Lib. XI. c. 29. ταύτην κύουσαν ἡ Οὐεργινίου γυνὴ — εἰσοδίαν οὖσαν cet. Melius mea quidem sententia εἰσόδιον; forma femin. gen. hujus vocabuli, nisi fallor, non adhibetur.

Lib. XI. cap. 34. τεκοῦσαν μὲν γὰρ ἀνάγκην τῶν τέκνων δεομένην στέργειν καὶ τρέφειν, ὅ τι ἂν ἡ φύσις ἐξενέγκῃ. Jure Kiessling in Adnotatione sua critica observat τῶν τέκνων δεομένην vix sana esse. Inauditum enim est matrem hac de causa amare et alere quodcunque ei natura produxerit *quum liberis indigeat;* exspectares aliquid hujuscemodi *eam naturae necessitate esse vinctam et astrictam.* Melius fortasse ἀνάγκῃ τῶν τέκνων ἐχομένην; sed nihil hac in re pro certo affirmare audeo.

Lib. XIII. c. 4. τοσαύτη τῶν τε ποταμίων καὶ τῶν ἄλλων ναμάτων ἐπίλειψις ἐγένετο, ... ἡνίκα μάλιστα

κάμνει πάντα δίψει τὰ βοτά. Lacuna quam Struve significavit sic explenda videtur: ὥρᾳ ἔτους ἡνίκα cet. Tempora enim anni Graece dicuntur ὧραι ἔτους vel τοῦ ἐνιαυτοῦ. v. c. Lib. VI. c. 62. ὥρᾳ ἔτους χειμερίῳ Lib. VIII. c. 89. ἐν πνιγηρᾷ ὥρᾳ ἔτους. cf. Thuc. Lib. VII. c. 47. τῆς τε ὥρας τοῦ ἐνιαυτοῦ ταύτης οὔσης ἐν ᾗ ἀσθενοῦσιν ἄνθρωποι μάλιστα.

Lib. XIII. cap. 13. (Kiessl. IV. p. 195.) legimus pervulgatam fabulam (quam Livius narrat Lib. V. c. 48.) Romanos a Gallis in angustias adductos urbem auro redimere voluisse, et ducem Gallorum quum gladium ponderi addidisset, rogatum quid hoc significaret, respondisse: ὀδύνη τοῖς κεκρατημένοις; quibus verbis Graece exprimere voluit quod apud Livium legimus *vae victis!* Plutarchus in vita Camilli cap. 28. iisdem fere verbis utitur: ὀδύνη τοῖς κεκρατημένοις. Polybius de hac fabula ne verbum quidem neque de interventu Camilli; sed quantivis pretii est quod narrat B c 18. Venetos subito in Galliam expeditionem fecisse qua re audita Gallos Romam reliquisse ut patriam suam defenderent. Sic mendax Romanorum fabula luculenter exploditur.

Lib. XIV. c. 11. (Kiessl. IV. p. 202.) μάλιστα δὲ τῷ μηδὲν τῶν ὑπὲρ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἀλλήλους

παρανομεῖν. Post *φύσιν* Kiessling inserendum censet *πρὸς*, quae tamen praepositio cum *παρανομεῖν* non solet conjungi; multo usitatius est *εἰς* cf. Lib. X. c. 35. — *πάντων — ὧν ἰδίᾳ τινὲς εἰς τοὺς δημάρχους παρηνόμησαν* et Lib. XI. c. 2. *ἀλλὰ καὶ εἰς τοὺς γαμετὰς αὐτῶν τὰς εὐμόρφους παρηνόμουν*. Praeterea ΕΙС post ΦυСΙΝ multo facilius excidere potuit quam ΠΡΟС. Non igitur dubito quin legendum sit *εἰς ἀλλήλους παρανομεῖν*.

Lib. XIV. cap. 16. (Kiessl. IV. p. 204.) scriptum est: *μακάριον μὲν ἕξοντες τὸν ἀπὸ τοῦδε χρόνον, οἷς ἂν ἐγγένηται τὸν ἐπιφανέστατον τῇ πατρίδι στέφανον καταγαγεῖν, καλὴν δὲ καὶ ἀθάνατον εὔκλειαν καταλείψοντες — οἱ ταύτην ἐκπληρώσοντες τὴν τοῦ βίου τελευτήν*. Suspectum mihi quidem videtur *χρόνον* pro quo exspectarem *βίον*, nusquam enim alibi, quod sciam, occurrit *ἔχειν χρόνον* sensu *vitam agere; βίον* contra cum *ἔχειν* conjunctum saepius invenitur v.c. Lib. XI. c. 9. *ἀλλὰ καὶ τούτων οἱ πλείους τὸν βίον ἔχουσιν ἐν τοῖς ἀγροῖς*. Sed nihil muto; fieri enim potuit ut lectionem a codicibus exhibitam ipsi auctori placuerit.

Lib. XV. c. 2. (Kiessl. IV. p. 208.) *ὁ μὲν Κελτὸς φέρων ἐπὶ τὸν Οὐαλέριον τὴν μάχαιραν ὡς διὰ τῆς*

προβολῆς εἰς τὰ πλευρὰ βάψας, *κτέ*. Quam primum pro aoristo *βάψας* futurum *βάψων* esse substituendum luce clarius est; Gallus enim in eo erat ut feriret, nondum ferierat. Certa autem est lex participium futuri adhiberi ad consilium aliquid faciendi indicandum.

Lib. XVI. c. 8. (Kiessl. IV. p. 224.) gravi vitio laborat. Gajus Laetorius tribunus militum in bello Samnitico contubernali suo juveni formosissimo vim afferre conatus erat; qua re audita plebs omnium consensu hominem libidinosum et impudentem capite damnavit *οὐκ ἀξιῶν εἰς ἐλεύθερα σώματα καὶ προπολεμοῦντα τῆς τῶν ἄλλων ἐλευθερίας τοὺς ἐν ταῖς ἄλλαις ὄντας ἀρχαῖς ὑβρίζειν τὰς ἀνηκέστους καὶ παρὰ φύσιν τοῖς ἄρρεσιν ὕβρεις*. Corruptum est procul dubio *ἐν ταῖς ἄλλαις ἀρχαῖς*, quod sensum nullum affert. Quodnam enim munus in nostro capite memoratur quod hisce *aliis muneribus* opponi possit? Frustra quaeris; de uno tantum munere nempe de tribunatu militum mentio fit. Jam Reiske conatus est librorum ineptias probabili conjectura summovere quum censeret ante *ταῖς ἄλλαις* excidisse *ἐν ταῖς στρατηγίαις καί*; sed hac quidem conjectura loci difficultas non tollitur, nullus enim locus hic esse potest molestissimo *ταῖς ἄλλαις*. Mea sententia nihil

excidit sed ταῖς ἄλλαις ex errore librarii cujusdam natum est quum ipse auctor ἐν μεγάλαις scripsisset. Nunc demum locum sanatum censeo, namque οἱ ἐν μεγάλαις ὄντες ἀρχαῖς optime ad unum Laetorium referri potest, neque quod propono nimis a codicum scriptura differre videtur.

Ridiculum emblema tollendum ex Lib. XVII. cap. 15. (Kiessl. IV. p. 229.) Postumius ἐπιλεξάμενος γὰρ ἐκ τῆς ἑαυτοῦ στρατιᾶς περὶ τοὺς δισχιλίους ἄνδρας εἰς τοὺς ἰδίους ἀγροὺς ἀπήγαγεν οἷς ἄνευ σιδήρου δρυμὸν ἐκέλευσε κείρειν. Quomodo quis quercetum caedere possit ferro non utens nemo, opinor, adhuc intellexit nec unquam intelliget. Videtur a sciolo quopiam adscriptum istud ἄνευ σιδήρου quo magis horrenda et vix ferenda consulis audacia videretur. Ex iis vero quae statim sequuntur luculenter apparet Postumium milites suos non ineptis et puerilibus vexationibus cruciare voluisse sed eos coegisse ut mercenariorum et famulorum operas facerent; quibus de causis non dubito quin praeclarum istud ἄνευ σιδήρου lepido sciolo quam primum sit reddendum.

Pyrrhus hoc agens ut Fabricium donis corrumperet sic eum de sua paupertate monuisse fertur: Lib. XIX. c. 14. (Kiessl. IV. p. 242.) ὥστε μηδὲν ἄμεινον τῶν

πενεστάτων βουλευτῶν ἐν τοῖς κατὰ τὸν βίον διατελεῖν. Minus mihi placet quod editur *βουλευτῶν.* Senatores non tam pauperes erant, alioquin historici hujus temporis non tam diserte de Fabricii paupertate mentionem fecissent. Praeterea etiam si hoc verum fuisset minime simile veri est regem Pyrrhum hanc de primoribus in praeclara Romanorum civitate sententiam habuisse. Expungendum igitur *τῶν βουλευτῶν* esse pro certo habeo pro quo substituendum censeo: *τῶν πολιτῶν* vel *πελατῶν* vel tale quid.

Eodem capite paulo infra: *καὶ πρῶτον μὲν ἐπὶ τὰς διαλλαγάς, ὅση δύναμις ἐν σοί, παρόρμησον τὴν-βουλήν, διδάσκων, ὡς ἐπὶ κακῷ τῆς πόλεως ὑμῶν ἀφῖγμαι.* Reiske post *ὡς* inseruit negationem *οὐ* quam admodum miror Kiesslingium non recepisse. Ex contextu enim luce clarius apparet negationem hic necessario requiri. Pyrrhus monet Fabricium ut summa ope senatui pacem suadeat, eum docens se in Italiam venisse ut Tarentinis opem ferret, graviterque affirmat se statim post amicitiam cum Romanis conciliatam ex Italia discessurum. Quid vero huc attinet se ad Romanorum perniciem venisse? Facile intelligis hoc ferri non posse; omnia enim quae adhibuerat rex ut Fabricio persuaderet se bona fide pacem petere hoc ipso

additamento stulte redarguisset. Legendum igitur censeo *ὡς οὐκ ἐπὶ κακῷ κτέ.*

Lib. XX. c. 6. (Kiessl. IV. p. 268.) de Bruttia pice sic editur: *ἡ δὲ πλείστη καὶ πιοτάτη πιττουργεῖται καὶ παρέχει πασῶν ὧν ἴσμεν ἡμεῖς εὐωδεστάτην τε καὶ γλυκυτάτην τὴν καλουμένην Βρεττίαν πίτταν.* Suspectum mihi est *γλυκυτάτην.* Fortasse substituendum *γλισχροτάτην*, *lentissimam*, quod multo magis cum pice convenire mihi quidem videtur. Cf. quod Plinius de Bruttia pice testatur Hist. Nat. Lib. XVI. 11: Bruttia pix *lentore* ab alia pice differt; sed non pro certo affirmo codicum lectionem mendosam esse.

Lib. XX. c. 9. (Kiessl. IV. p. 269.) latro quidam Samnis *τὸ μὲν πρῶτον ἐπὶ τοῖς ὄρεσιν ἄγραυλον καὶ μείονα τὸν βίον εἶχεν· ἐπεὶ δὲ πλεῖον ἤδη καὶ ἀξιόμαχον ἐδόκει γεγονέναι, πόλιν ἐχυρὰν καταλαμβάνεται, κτέ.* In hisce *μείονα τὸν βίον* emendatum videtur ex *πλείονα τὸν βίον* quod libri dant sed neque *μείονα* neque *πλείονα* sensum ullum probabilem praebent. Nec tamen difficile mihi videtur conjicere quid a manu auctoris profectum sit. Saepius enim *ἀγραυλεῖν* cum *πλανᾶσθαι* conjungitur et *ἀγραυλία* cum *πλάνη* ut Lib. VI. c. 44. *δέον ὑπὸ ταῖς ἀγραυλίαις καὶ*

πλάναις ἐν τῇ πολεμίᾳ κατέχειν ὑμᾶς. Hoc exemplum et similia secutus censeo πλείονα vitio natum esse ex πλάνητα et auctorem scripsisse ἄγραυλον καὶ πλάνητα βίον, quod optime convenit cum sequenti πόλιν ἐχυρὰν καταλαμβάνεται. Cf. etiam Plut. Numa c. 4. ubi eadem vocabula conjuncta sunt.

Restat mihi ut paucissimis de dialecto et de ratione dicendi Dionysii disseram. In quo, opinor, nihil opus est ut multis demonstrem ejus linguam sicut omnium hujusce temporis auctorum variis modis discrepare a certa et constanti consuetudine Atticorum. Quum omnia longa die immutari soleant fieri non potuit ut formae et significationes verborum quae apud Atticos vigerent eae in omnia tempora integrae manerent. Hoc imprimis agam ut, prolatis nonnullis Dionysii dicendi rationibus ex Homero aliisque auctoribus depromtis, demonstrem nostrum Ionica et poetica valde amare.

Lib. I. c. 4. ὅτι τῆς ἀοιδίμου γενομένης καθ' ἡμᾶς πόλεως, κτέ. In hisce ἀοίδιμος est Tragicorum et Herodoti, oratione soluta Atticorum non occurrens, pro ἔνδοξος. Homerus semel hoc vocabulum in malam partem accipit. Iliad. VI. 358.

Lib. I. c. 5. ὅτι μυρίας ἤνεγκεν ἀνδρῶν ἀρετάς,

pro ἄνδρας ἀγαθούς; qua ratione dicendi Homerus saepius utitur, ut Iliad. III. 105.

Ἄξετε δὲ Πριάμοιο βίην, ὄφρ' ὅρκια τάμνῃ κτέ.

Iliad. IX. 351. σθένος Ἕκτορος. Odyss. VII. 167. ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο.

Lib. I. c. 33. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα — βρέτη θεῶν καθιδρύσωσαν. βρέτη θεῶν est Tragicorum.

Lib. I. c. 38. Ἡρακλέα δὲ — κατάρξασθαι θυμάτων ἁγνῶν, ἐπὶ καθαρῷ πυρὶ ἁγιζομένων. Ultimum verbum usitatum est Pindaro et Tragicis non vero Atticis. Aristophanes semel lepide, Plut. 681.

ἔπειτα ταῦθ' (πόπανα) ἥγιζεν εἰς σάκταν τινά.

Usus tamen hujusce verbi apud antiquos et Dionysium non prorsus idem videtur; antiqui enim verbo ἁγίζειν utuntur de ara consecranda, cf. Pind. Olymp. III. 34. πατρὶ μὲν βωμῶν ἁγιαθέντων κτέ. et Soph. Oed. Col. 1495. βούθυτον ἑστίαν ἁγίζων; noster vero de hostia immolanda. Vide etiam Lib. I. c. 57. Αἰνείας τῆς ὑὸς τὸν τόκον ἁγίζει θεοῖς.

Lib. I. c. 40. ἧς (χώρας) μέγα ἐποιοῦντο ἄρχειν, i. e. magni faciebant; eodem modo Herodotus Lib. VIII. c. 3. μέγα πεποιημένοι περιεῖναι τὴν Ἑλλάδα. Usitatius in tali re περὶ πολλοῦ ποιεῖσθαι.

Lib. I. c. 55. λιβάδες αὐτόματοι νάματος ἡδίστου

ἐκ γῆς ἀνελθοῦσαι ὤφθησαν. Primum vocabulum est poetarum, ut Eurip. Iphig. Taur.

ὦ πολλαὶ δακρύων λιβάδες.

Idem vocabulum adhibet Dion. et Lib. XI. c. 37. τὰς λιβάδας ἐξέματτε τῶν δακρύων et alibi.

Lib. IV. c. 2. τὸν μὲν οὖν Ταρκύνιον ἀκούσαντά τε καὶ μετὰ ταῦτα ἰδόντα τὸ τέρας ἐν θαύματι γενέσθαι et Lib. XI. c. 27. ὡς ἐθεάσαντο τὸν — Σίκκιον — ἐν θαύματι ἦσαν. Haec ultima Herodotus imprimis adhibet, nec tamen Thucydidi sunt ignota.

Lib. IV. c. 16. ἐκοσμεῖτο δ' ἐν τοῖς ἀγῶσι μετὰ τοὺς προμάχους. Notissimum est verbum κοσμεῖν apud Homerum idem significare quod apud Atticos τάττειν. e. g. Iliad. XI. 51.

φθὰν δὲ μέγ' ἱππήων ἐπὶ τάφρῳ κοσμηθέντες.

pro ταχθέντες.

Lib. IV. c. 47. κίνδυνον τὸν μέγιστον τρέχουσιν et Lib. VII. c. 48. τὸν ὑπὲρ τῆς ψυχῆς ἀγῶνα τρέχει. cf. Herod. Lib. VIII. c. 102. πολλοὺς πολλάκις ἀγῶνας δραμέονται περὶ σφέων αὐτῶν οἱ Ἕλληνες. Videtur haec ratio dicendi imprimis petita ex Iliade Lib. XXII. 161.

ἀλλὰ περὶ ψυχῆς θέον Ἕκτορος ἱπποδάμοιο.

Lib. IV. c. 53. *πολλάκις δὲ οἱ Ῥωμαῖοι τοὺς Γαβίους ὠσάμενοι καὶ κατακλείσαντες ἐς τὴν πόλιν, κτἑ.* Latine: saepe Romani Gabiis *pulsis*, eqs. Hoc sensu *ὠθεῖσθαι* et activum *ὠθεῖν* mihi videntur ante omnes Homerus et Tragici adhibere. Vide Iliad. VIII. 336.

οἱ δ' ἰθὺς τάφροιο βαθείης ὦσαν Ἀχαιούς·

Iliad XI. 803, 804.

Ῥεῖα δέ κ' ἀκμῆτες κεκμηότας ἄνδρας ἀϋτῇ

ὤσαισθε προτὶ ἄστυ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων.

Soph. Oed. R. 241.

ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων πάντας, ὡς μιάσματος

τοῦδ' ἡμὶν ὄντος.

Lib. IV. c. 75. *καὶ τὰ δόξαντα τῇ βουλῇ φέρειν εἰς τὸν δῆμον.* Dionysius conatus est Graece vertere quod Romani dicunt *ferre* ad populum. Graeci vero in tali re utuntur composito *ἐκφέρειν*, ut Demosth. contra Neaeram cap. 4. — *καὶ ἐξήνεγκε προβούλευμα εἰς τὸν δῆμον, κτἑ.*

Lib. V. c. 1. *καὶ μετὰ τοῦτο καθαρμοὺς τῆς πόλεως ποιησάμενοι καὶ ὅρκια ταμόντες* (cf. Lib. X. c. 59.) Haec ultima Herodoto non ignota, frequentissime tamen usurpat Homerus ut Iliad. II. 124.

εἴπερ γάρ κ' ἐθέλοιμεν Ἀχαιοί τε Τρῶές τε,

ὅρκια πιστὰ ταμόντες, ἀριθμηθήμεναι ἄμφω, κτἑ.

cf. Iliad III. 73, 94, 105. Herod. IV. 201; VII. 132.

Lib. VI. c. 93. Τοὺς κρατίστους τῶν νεῶν ἀρωγοὺς αὐτῷ πέμπει. Homero et Tragicis usitatum est ἀρωγός quo vocabulo perraro Attici utuntur.

Lib. V. c. 68. — καὶ μέγα τῷ κοινῷ κέρδος ὑπολαμβάνειν, ἐὰν ἑκόντες ἀπὸ τῆς πόλεως ἀποφθαρῶσιν. Ultimum vocabulum mihi videtur hic nihil aliud significare quam *discedere*, *abire*. Antiquiores vero ἀποφθείρεσθαι in malam partem accipere solent. Vide Arist. Nubes 789. 790.

οὐκ ἐς κόρακας ἀποφθερεῖ,

ἐπιλησμότατον καὶ σκαιότατον γερόντιον;

Lib. VIII. c. 35. καὶ γονεῖς δούλους ἀντ' ἐλευθέρων ἐπὶ γήρως οὐδῷ γενομένους. Dicendi ratio ex Homero depromta; e. g. de Priamo Iliad. XXII. 60, 61.

δύσμορον, ὅν ῥα πατὴρ Κρονίδης ἐπὶ γήραος οὐδῷ

αἴσῃ ἐν ἀργαλέῃ φθίσει, κτέ.

Lib. VIII. c. 40. κλέος ἀρετῆς ἀθάνατον ἐγγόνοις τοῖς ἐσομένοις καταλιπεῖν. Primum vocabulum haud saepe adhibetur ab Atticis, usitatissimum vero est Homero.

Eundem poetam Dionysius ante oculos habuisse videtur Lib. VIII. c. 50. ubi Veturia filium suum obtestans ut iram deponeret inter alia haec dicit:

ἐγὼ μὲν οὐκ ἔχω πῶς ἐπαινέσω ταῦτα τὰ σκληρὰ — δικαιώματα, ὁρῶσα καταφυγὰς εὑρημένας ἅπασιν ἀνθρώποις καὶ παραιτήσεις, ὧν ἂν ἐξαμαρτάνωσι περὶ ἀλλήλους, ἱκετηρίας, καὶ λιτὰς — καὶ πολλοὶ ἤδη μεγάλα εἰς αὐτοὺς ἐξαμαρτόντες εὐχαῖς καὶ θυσίαις τὸν χόλον ἐξιλάσαντο. Cum quibus conferens Iliad. IX. 499. sqq. videbis eandem fere sententiam Phoenicem adhibuisse qua animum Achillis placaret.

Καὶ μὲν τοὺς θυέεσσι καὶ εὐχωλῇς ἀγανῇσιν
λοιβῇ τε κνίσῃ τε παρατρωπῶσ' ἄνθρωποι
λισσόμενοι, ὅτε κέν τις ὑπερβήῃ καὶ ἁμάρτῃ.
καὶ γάρ τε Λιταί εἰσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο, κτέ.

Lib. VIII. c. 61. Ingenium Marci Coriolani describens auctor haec dicit: οὐδὲ ἡ πάντα τὰ ἀνθρώπινα ἐπικοσμοῦσα χάρις (ἐνῆν αὐτοῦ τοῖς τρόποις) ἀλλ' ἀεὶ πικρὸς καὶ χαλεπὸς ἦν. Quis non videt hic nostri ante oculos fuisse quae Xenophon Anab. II. 6. 12. de Klearcho scribit: τὸ γὰρ ἐπίχαρι οὐκ εἶχεν, ἀλλ' ἀεὶ χαλεπὸς ἦν καὶ ὠμός.?

Lib. X. c. 7. διεληλυθόσι δ' ἡμῖν τὴν ἀγορὰν περιτυγχάνει Καίσων — σὺν ἑτέροις ἀγερώχοις μειρακίοις. Hic noster ἀγέρωχος in malam partem accipit, non ita Homerus Odyss. XI. 285, 286.

ἡ δὲ Πύλου βασίλευε, τέκεν δέ οἱ ἀγλαὰ τέκνα,

Νέστορά τε Χρομίον τε Περικλύμενόν τ' ἀγέρωχον.

Lib. X. c. 9. ὅλης δὲ κραδαινομένης ἐπὶ τῇ προσδοκίᾳ τῶν δεινῶν τῆς πόλεως. Verbum κραδαίνειν est antiquum et poeticum significans *vibrare*, *concutere*, ut legimus Iliad. XIII. 504.

αἰχμὴ δ' Αἰνείαο κραδαινομένη κατὰ γαίης
ᾤχετ'.

Lib. XI. c. 10. οὐ γὰρ ἄτερ αἰτίας ταῦθ' οὕτως ἔχει (cf. Lib. III. c. 10). Nemo, opinor, apud Atticos scriptores facile ἄτερ inveniet pro ἄνευ, quo vocabulo non nisi Epici, Lyrici et Tragici utuntur et seriores qui antiqua imitari solent.

Lib. XI. c. 14. μαρτύρομαι θεοὺς ὧν ἱερὰ καὶ βωμοὺς κοιναῖς θυσίαις γεραίρομεν. Ultimum vocabulum apud poetas saepius occurrit, rarius vero in oratione soluta.

Permulta talia hisce addi possunt ut Lib. X. c. 10. θεῖος χόλος et ἀνθρωπίνη νέμεσις. Cap. 21. ἀγχοῦ pro ἐγγύς. Cap. 16. ἑκηβόλοις χρῆσθαι μάχαις; inauditum de ipsa pugna, ἑκήβολος enim apud Hom. de Apolline, apud poetas Att. praeterea de armis Cap. 24. κελεύειν cum dativo constructum. Cap. 25. τὰ σώματα ἐκ θανάτου ῥύσασθαι. Cap. 48. ὁ χερνήτης ὄχλος. Cap. 53. κά-

ματος (morbus) et καματηρὰ σώματα. Cap. 54. χέρσος γῆ (ager incultus). Cap. 58. ἀναίνεσθαι (perraro apud Plat. et Xen.). Lib. XI. c. 13. παραπλάζεσθαι τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ. Cap. 15. ὄμματα. Cap. 38. πτῶμα (cadaver), cet. Sed jam me tempus admonet ut finem imponam opusculo meo.

THESES.

I.

Caes. de Bell. Gall. I. c. 44. Debere se suspicari simulata Caesarem amicitia, *quod* exercitum in Gallia habeat sui opprimendi causa habere. Legatur quem pro quod.

II.

Corn. Nep. in vita Pomp. Attici c. 9. Secutum est bellum gestum apud Mutinam. In quo si tantum eum prudentem dicam, minus, quam debeam, praedicem, cum ille potius divinus fuerit, *si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quae nullis casibus agitatur neque minuitur*. Verba si divinatio — minuitur omnino delenda sunt.

III.

Ibid. c. 10. Neque enim suae *solum* a quoquam auxilium petiit salutis. Emendandum videtur: solius.

IV.

Cic. pro Plancio XVIII. § 45. Decuriatio tribulium descriptio populi, suffragia largitione devincta severitatem Senatus et bonorum omnium *vim* ac dolorem excitarunt. Repone: iram.

V.

Cic. de Finibus, IV. 15. § 40. Atenim [*nam*] dicitis virtutem non posse constitui, si ea, quae extra virtutem sint, ad beate vivendum pertineant. Legendum vid. ipsam dicitis eqs.

VI.

Cic. Tuscul. Disp. V. 38. § 112. *videbat* in literis. Lege: vivebat.

VII.

Livius XXIV. c. 10. *Et* praetoribus prioris anni pro praetore Q. Mucius obtineret Sardiniam, M. Vale-

rius ad Brundisium orae maritimae, intentus adversus omnes motus Philippi Macedonum regis, praeesset. Lege: ex.

VIII.

Taciti Ann. I. 68. Igitur orta die *proruunt fossas*, injiciunt crates, summa valli prensant. Reponendum vid. proruunt, fossis eqs.

IX.

Virg. Aen. IV. 65.

Heu, *vatum* ignarae mentes! cet.

Recte Peerlkampius: fati.

X.

Horat. carm. II. 16. 17—20.

Quid brevi fortes jaculamur aevo
Multa? quid terras alio calentes
Sole *mutamus? patriae quis* exsul
Se quoque fugit?

Lectio: mutamus patria? quis cet. defendi potest.

XI.

Xen. Cyrop. III. 3. 45. Μωρὸν γὰρ τὸ κρατεῖν βου-

λομένους τὰ τυφλὰ τοῦ σώματος καὶ ἄοπλα ταῦτα ἐναντία τάττειν τοῖς πολεμίοις *φεύγοντας*. Ultimum vocabulum delendum videtur.

XII.

Ibid. V. 3. 37. κελεύω τοὺς θωρακοφόρους ἡγεῖσθαι, ὅτι τοῦτο *βαρύτατόν* ἐστι τοῦ στρατεύματος. Τοῦ δὲ *βαρυτάτου* ἡγουμένου, ἀνάγκη ῥαδίως ἕπεσθαι πάντα τὰ θᾶττον ἰόντα· Legendum: βραδύτατόν et βραδυτάτου.

XIII.

Xen. Memor. III. 5. 14. Οὐδὲν ἀπόκρυφον δοκεῖ μοι εἶναι, ἀλλ' εἰ μὲν ἐξευρόντες τὰ τῶν προγόνων ἐπιτηδεύματα μηδὲν χεῖρον ἐκείνων ἐπιτηδεύοιεν, οὐδὲν ἂν χείρους ἐκείνων *γενέσθαι*. Pro ultimo vocabulo substitue: γένοιντο.

XIV.

Ibid. III. 14. 3. ἐάν τις — ἐσθίῃ — μὴ *ἀσκήσεως*, ἀλλ' ἡδονῆς ἕνεκα, κτέ. Vid. leg. σιτήσεως.

XV.

Ibid. σχολῇ *γ' ἂν*, ἔφη, ἄλλος τις ὀψοφάγος εἴη. Repone: γὰρ ἄν.

XVI.

Ibid. IV. 5. 7. *αὐτὰ γὰρ δήπου τὰ ἐναντία σωφροσύνης καὶ ἀκρασίας ἔργα ἐστίν.* Pro *αὐτὰ* substitue: *ἐναντία* et dele *ἐναντία* post *τά*,

XVII.

Demosth. c. Macart. c. 67. *Σόλων — κελεύων τοῖς κατοιχομένοις ποιεῖν τοὺς προσήκοντας ἐν ταῖς καθηκούσαις ἡμέραις.* Post *ποιεῖν* subandiendum *τὰ νομιζόμενα.*

XVIII.

Ibid. c. Leocharem. § c. 6. *καὶ κατὰ τὴν ἀγχιστείαν γνήσιοι ὄντες.* Lege *συγγενεῖς.*

XIX.

Ibid. c. Callicl. *εἰ μὲν γὰρ ἦν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, χαράδρα πάλιν ὑποδεχομένη, κτἑ.* Emenda: *πάλαι.*

XX.

Plut. de esu carnium Lib. II. c. 3. *Πυθαγόρας καὶ Ἐμπεδοκλῆς ἐθίζοντες εἶναι καὶ πρὸς τὰ ἄλλα γένη δικαίους.* Pro *ἄλλα γένη* lege: *ἄλογα.*

XXI.

Ibid. Quaest. Conv. Lib. III. Q. v. c. 2. § 12. *ὡς γὰρ ἔοικε, μάλιστα δὲ ὡς εἰρήκαμεν, ἐοίκασι τοῖς πρεσβύταις οἱ μεθύοντες.* Excidit *νέοι* ante *μεθύοντες.*

XXII.

Antiphanis fab. incert. XII. (Aug. Meineke fr. poet. com. nov.)

κρύψαι, Φειδία,
ἅπαντα τἄλλα τις δύναιτ' ἂν πλὴν δυοῖν,
οἶνόν τε πίνων εἰς ἔρωτά τ' ἐμπεσών.
ἀμφότερα μηνύει γὰρ ἀπὸ τῶν βλεμμάτων.
καὶ τῶν λόγων ταῦθ', ὥστε τοὺς ἀρνουμένους
μάλιστα τούτοις καταφανεῖς ποιεῖ.

Pro *τε πίνων* lege: *πεπωκώς.*

XXIII.

Menandri *γνῶμαι μονόστιχοι* (Mein. in lib. cit) vs. 523.

ὕπνος δεινὸν ἀνθρώποις κακόν.

Videtur idem vs. occurrere vs. 732.

ὑπόνοια δεινόν ἐστιν ἀνθρώποις κακόν.

XXIV.

Ibid. vs. 431.

οὐδεὶς ἐπιχειρεῖ τοῖς δεδυστυχηκόσι.

Videtur legendum:

οὐ δεῖ σ' ἐπιχαίρειν τοῖς δεδυστυχηκόσι.

XXV.

Apoll. Caryst. vs. I. fabulae quae inscribitur γραμματειδιοποιός (Meineke in lib. cit.)

ὦ π ά ν τ ε ς ἄνθρωποι τί τὸ ζῆν ἡδέως
παρέντες ἐπιμελεῖσθε τοῦ κακῶς ποιεῖν
πολεμοῦντες ἀλλήλοις;


Legendum videtur: ὦ τάλανες.

XXVI.

De verklaring van Prins Willem III (particuliere brief aan den Raadpensionaris Fagel na den slag van St. Denis) „Ik kan voor God verklaren, dat ik niet geweten heb als dezen middag, uit uw missive van den 13en, dat de vrede gesloten was", mag, ook na de jongste studie over dit onderwerp van den Hoogleeraar R. Fruin (Versl. en Med. der K. A. v. Wetenschappen II. IV. 1.) geen *sophisme* genoemd worden.

XXVII.

Niet juist drukt K. von Rotteck zich uit in zijne Algem. Gesch. IX. p. 135. „Maximilian Robespierre — blutgierig, *heuchlerisch.* — gegenstand des Abscheues und des Entsetzens, *doch nicht der Verachtung.*



Ex typographeo De Breuk & Smits.